TRanquillum, pacatúmque omnis benè constitutæ Reipublicæ statum, exhortatione præmiorum, & pœnarum metu servari, ut vulgaria Ulpiani, *in l. 1. ff. de justitia & jur.* & Horatii, *1. epistol. 16.* testimonia præteream, eleganter Aristot. *1. Ethic. cap. 5.* verbis suadetur, hæc duo efficacissima media esse, ut cives boni efficerentur, tradentis. Et Democriti, qui (ut Plinius *lib. 2. nat. hist. cap. 7.* refert) duos tantùm Deos esse constituebat, pœnam, & beneficium, quæ etiam pro Diis apud Assyrios colebantur. Inde optimè Cicero *pro Cluent. Summum* (inquit) *rectè factis majores nostri præmium, plura peccatis pericula esse voluerunt*, & cùm lascivientis naturæ vitio, homines in pejora frequentiùs laberentur, justissimis sanè de causis, in his Jurisconsultorum responsis, & Imperatorum rescriptis, quæ omnes ubique gentes non minùs quàm ea venerantur:

Pithia quæ tripode ex Phœbi, lauróque profatur.

Tot passim constitutiones sparsæ reperiuntur, quibus severissimis pœnis, interdum etiam & levioribus (prout delicti, ac maleficii qualitas tulerit) sontes puniri, illique, qui à recto virtutis tramite deviarint, coërceri jubentur.

Obras Posthumas.

Nihil enim adversus petulantiam & injustitiam magis, quàm castigatio, & animadversio convenit, &, ut capitalibus pœnis, exiliisque quibusdam, quemadmodum Ulp. *in l. congruit. 13. de offic. præs.* scribit, communis boni gratia civitates purgentur. Sic enim & Cajus ait, *in l. si à reo 71. §. fin. de fidejuss. Pœnas ob maleficia solvi magnam rationem suadere.* Et Paulus, *in l. licitat. 9. §. quod illicitè, ff. de publ. & vectig. Disciplinæ publicæ vigorem exposcere, ut illicitè facta competenti supplicio vindicentur.* Sciebat hoc celebris ille Atheniensium legislator Draco, qui, vel eos, qui otiè damnati forent, capite mulctandos, suis legibus sanxerat, quas non immeritò Demades orator (ut Cœlius *lib. 11. antiq. lect. cap. 3.* & Alex. *genial. 3. cap. 5.* commemorant) non atramento, sed sanguine scriptas esse dictitabat: & Aristot. *lib. 2. Rhet.* non hominis, sed verè Draconis esse, asseverabat. Sciebant & antiquissimi homines, qui ut Plato *in Reth.* refert, Rhadamantum (quò magis peccandi licentiam cohiberent) noxios, & criminis alicujus reos in Tartarum, quò delictorum meritas pœnas penderent, tradebant dimittere. Sciebant denique prisci illi, & omni semper memoria recolendi Heroes, qui diversis gentibus Nonophilaces extiterunt, beneque ac rectè vivendi tradiderunt normam: quorum in tabulis nemo est qui nesciat, variis supplicionum generibus, delinquentium audaciam compesci, eosque, qui statutam ac præfinitam legibus metam transilirent, puniri. Unde legislatores illos pro Diis habitos, & tanquam cœlestia numina venerantur, commemorant plures: Cœlius Rhodig. *lib. 18. ant. lect. cap. 19.* Mateacius *de via & rat. jur. lib. 1. cap. 23.* quippe cum lex nihil

aliud sit, ut Demosthenes à Martiano relatus *in l.2. de legibus*, scribit, *quam Inventio quædam, & donum Dei, correctióque voluntariorum, & non voluntariorum peccatorum*, ejúsque virtus Modestino *in l. legis virtus, de leg.* & Quintiliano 7. *inst. orat. cap.* 6. testibus, ut plurimum in puniendo consistat.

Hinc in libris de Rhetor. Plato: *Qui injusta* (inquit) *perpetrat, pœnas luit, & qui rectè puniunt, justitia quadam freti puniunt, pœnáque justa justiores efficit, tanquam medicina quædam improbitatis.* Quò respiciens Cicer. *in* 8. *Philippic.* malorum punitionem necessitatem potius quàm voluntatem esse (quod Plato etiam ipse anteà docuerat *lib.* 9. *de legibus*) his elegantissimis verbis ostendit: *Quemadmodum in corpore, si quid hujusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur, ut membrorum aliquid potiùs quàm totum corpus intereat, sic in Reip. corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputetur.* Neque minus Clem. Alex. *lib.* 1. *strom.* ita in eandem sententiam scribit: *Lex eorum, qui ei parent curam gerens, ad pietatem in Deum instituit, & dictat ea, quæ sunt facienda, & propulsat omne peccatum, pœnas imponens his, quæ sunt mediocria; cum autem viderit aliquem ita se habere, ut videatur immedicabilis, utpote qui ad extremam prorúmpat injustitiam, tunc aliorum jam curam gerens, ne ab ipso corrumpatur, tanquam aliquam partem à toto corpore resecans, sic eum, qui est hujusmodi, occidit salubérrimè.* Est enim (ut Joan. Pontifex *in extravag. de pœnit.* ait) *compescenda malorum audacia, ut saltem pœnæ formidine retrahantur à noxiis, sicque boni, sectando virtutem, meliores efficiantur eum illis perire*: Et in puniendis scelèribus, non solùm delinquentis ipsius, qui pœna afficitur, sed reliquorum quoque contemplatio adhibenda, ut ex Philosophorum schola Alex. Neap. advertit *d. lib.* 3. *cap.* 5. *in princ.* Nam delictum, quo impunitius, eo effrenatius fit: atque adeò ne serpat insitum illud, & radicarum in natura malum, & peccandi consuetudine in ferocem, & belluinam erumpat audaciam, curandum est maximè (quod Pontifices ajunt, *in cap. ut clericor. de vit. & honestat. cleric.*) *ut quos Dei timor à malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato*: & ut alma civilis justitia, delinquentes coerceat, & illecebram veniæ, & impunitatis spem, à Republica exterminet; civitatésque, ac populos seu Herculea clava, Lernæis nocentium monstris expurget, & liberet. *Malum enim* (ut ait Cassiod. *lib.* 3. *var.*) *cùm perseverat augetur, & remediabile bonum est in peccatum, accelerata correctio.* Undè nostrarum legum auctores, *in l. ita vulnerat* 53. *ad l. Aquil. l. eum qui nocentem* 8. *de injur.* maximè conducere inquiunt, ne delicta maneant impunita, & non immeritò M. Tull. 3. *orat. in Catil. & in orat. in Piton.* crudeles in patriam appellat judices, qui facinorosis hominibus delicta condonantes, eos, & alios ad similia, vel majora audendum, movere videntur. Pœnæ enim ut Paulus, *in l. si pœna*; & Callistr. *in l. capitalium*, §. *famosos*, *ff. de pœn.* tradunt, in emendationem, & terrorem hominum inductæ sunt: & Senec. teste, *l.* 1. *de ira circa fin. Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.* Quo respiciens Quint. *declam.* 274. inquit: *Quoties crucifigimus noxios celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi commoveri hoc metu possint. Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet, quàm ad exemplum.* Atque ita ut Moses *Deut.* 1. admonuit, judices in pœnis irrogandis, nihil pertimescere debent, *quia judicium Dei est*; non enim lex, non judex delinquentes punit, (ut & Juris DD. post gloss. *in l. cum probatio, C. de probat.* declarant) sed ipsum delictum publica satisfactione culpam expiat, & tanquam debitum dissolvit. Quinimò ut Divin. Psalt. *Psalm.* 57. testatur, Deus ipse personam judicis peragit. Quamobrem non absque ratione Lacedæmonii cujusdam aprophthegma laudatur à Plutarch. *in Laco.* apud quem, cùm Charillus Rex summis laudibus efferretur; quomodo, inquit, bonus est, qui ne in malos quidem acerbus sit? Verendum est namque ne (ut *in Jugurt.* tradit Sallust.) *ignoscendo malis, bonos perditum eamus*: & ut ait Ambros. 1. *offic.* & faciunt alia, quæ tradit Joannes Neviz. *in Sylv. nup. lib.* 1. *à num.* 71. Guillel. Bened. *in cap. Rainut. verb. mortuo el.* 1. *Nocentes absolvendo, innocentes tradamus exitio.* Nam ut inquit Salvian. *lib.* 7. *de gubern. Dei: Potestas quippè magna, & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari.*

CAPUT II.

Quæ deterioris exempli sunt, vindicari severius debere, Pœnas non tam in delinquentium vindictam, quam in aliorum metum, & emendationem induci. Inde interdum & animalia puniri, & novis facinoribus nova supplicia excogitari, atque adeò leges meritò in parricidas sævire.

SOlent autem, & debent interdum, quorumdam maleficiorum supplicia exacerbari, quoties nimirum, multis personis grassantibus exemplo opus sit, ut diserte Claud. Saturnin. scripsit *in l. aut facta* 16. §. *fin. ff. de pœn.* Nam cùm ex Juvenal. *satyr.* 14. *Docilles in imitandis turpibus, ac pravis omnes simis*; &, ut Cicero inquit *lib.* 3. *de Orator. duo nos maximè movent, exemplum & similitudo*, quæ perniciosis exemplis hominum animos, & mentes inficiunt, exemplaribus quoque suppliciis, & gravioribus pœnis eradenda, & averruncanda fuerunt: & omni studio nitendum, ut (quod olim in decimatione fiebat; de qua plurima ex Livio, Plut. Dionys. & aliis tradit Tiraq. *de pœn. temp. caus.* 47. P. Fab. *lib.* 1. *semest. capit.* 18. Just. Lips. *de milit. lib.* 5. *dial.* 18.) metus, & horror omnibus injiciatur, pœna verò ad paucos perveniat. Unde passim apud Terent. sæviores istæ animadversiones exempla vocantur, quæ eadem Greci, ut Cællius *lib.* 6. *lect. ant. cap.* 14. tradit, παραδείγματα dicunt: & apud

apud nos quotidiè hanc etiam ob causam, mortua jam delinquentium cadavera, quibus tamen, ut ille dixit, terram ignibus misceri, nihil interest, in cineres, vel secata in frusta, vulturibus mandenda mandari videmus, ut metu similis pœnæ, in se reliqui tam immane spectaculum veriti, ab eisdem facinoribus arceantur. Nam ut rectè ait Optarus Milevit. *lib.* 6. *Ut terreatis vivos, male tractetis mortuos*; & Quintil. *declam.* 274. *Non satis putaverunt majores eas pœnas constituere, quas possit aliquis excipere in vita; multos magis tangit sepultura, ad cogitationem post se futurorum, plerique gravius moventur.* Cujus rei cùm multa literarum monumentis testimonia prodantur, illud tamen pro cunctis adduxisse juvabit, quod ex historiis Græcanicis Agel. *lib.* 15. *noct. Att. capit.* 10. Leonic. *de var. hist. lib.* 2. *cap.* 18. & alia tradens Menoch. *de arbit. cas.* 285. de Milesiis virginibus retulerunt, quæ á furore, quo perciræ voluntariam mortem opperebant, non destitere prius, quàm Milesiorum decreto quæ posteà se suspendio conficerent virgines, cum eodem laqueo, quo essent præcinctæ, nudato corpore, per fori medium jussæ palam efferri, alias tam inhonesti funeris pudore, ne sibi postmodum violentas manus injicerent, terruerunt. Addo bruta quoque animantia, licèt ratione, & inferendæ injuriæ potestate carentia, *l.* 1. *ff. si quadr. pauper.* non solùm ut facti memoria aboleatur, ut nostratibus legibus continetur, *l.* 2. *tit.* 21. *part.* 7. Bald. *in l.* 3. *num.* 36. *de jurid. cap. hoc ipsum* 33. *quæst.* 11. *cap. mulier* 15. *quæst.* 1. Mant. *singul.* 15. *num.* 3. sed ut commissi etiam sceleris pœnas persolvat, & quod magis est, ut aliis timorem inficiant, aliquando puniri solere. Nam Mosaico jure, *Levit. cap.* 21. *Exod.* 20. jumentum, si hominem interfecerit, lapidibus occidi jubetur; & Guido Papa *decis.* 238. Pet. Herod. *lib.* 3. *decr. tit.* 16. se vidisse porcum furca suspensum scriptum reliquit, quòd puerum comedisset. Quin & Plinius *lib.* 8. *naturalis hist. cap.* 16. cujus verba refert & explicat Lipsius 1. *de cruce c.* 6. auctor est: *Polybium cum Scipione in Africa, leones homicidas crucifixos vidisse, quia cæteri metu pœnæ similis, absterrerentur eadem noxa.* Et quod plus est, cædes ab inanimatis factas Athenis in Pritaneo judicatas testatur Demosth. contra Aristocr. Et statua Niconis, auctore Suida, quod ruens hominem vivum oppressisset & extinxisset, rea cædis ab interempti hæredibus acta, damnata & in mare demersa est. Quod non prorsus à ratione abesse considerat Fornet. *lib.* 1. *select. cap.* 10. Ergo cùm (ut apud Agel. *lib.* 20. *noct. Attic. cap.* 1. Sextus Cecilius dicebat, *Acerbitas ulciscendi maleficii bene, atque cautè vivendi disciplina fit*: & ut Cic. *epist. ad Brut.* inquit: *Salutaris severitas vincat inanem speciem clementiæ*; quid mirum, si præfractos hominum mores leges compescant? & in eos ultore gladio consurgant, qui non minus exemplo quàm peccato nocent? Quid si flammas, cruces, bestias, & atrociora interdum supplicia minentur? *l. aut damnum*, §. *hostes*, & §. *quicumque*, *l. capit. in princ. & Obras Posthumas.*

in §. *famosos*, & §. *qui ob inimicitias l. ad Bestias*, *ff. de pœn. l.* 2. *C. de falsa mon.* cum latè traditis ab Alex. 3. *gen.* 5. Cæl. 1. *lect. cap.* 5. Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 2. Pet. Fab. 1. *sem. capit.* 18. Petr. Greg. *lib.* 31. *Syntag.* Quid denique si pœnæ quæ delictis semper debent esse conformes, *l. rescriptum* 6. *de his quæ ut indig.* Menoch. *quæst.* 90. *num.* 38. auctis sceleribus augeantur? cùm sapienter hoc sicut cætera Pythagoras, ut refert Laert. *in ejus vita* dixerit; *Eos qui malos non puniant, velle bonis injuriam inferri.* Et cùm aliter Reipub. salus consistere nequeat, hominibus in homines, ferrum, venenum, & insidias quotidie parantibus, & à concordia, quam bruta semper inter sua genera servant, desciscentibus, ut optimè post Plin. *in præm. lib.* 7. Juvenal. *satyr.* 13. deplorat:

Sed jam serpentum (inquiens) *major est concordia: parcit*
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper, majoris dentibus apri?
Indica tygris agit rabida cum tygride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis,
Ast homini ferrum lethale, &c.

Uno itaque ex homine, plurima homini sunt mala: unus adeò præceps in omni flagitia fertur, ut parentibus ipsis (quibus, Platone *lib.* 11. *de legib.* testante, nullum apud Deos magis honorandum simulachrum inveniri potest) non parcens, ita atrox, horrendum atque immane scelus invenerit, ut quamvis in eo puniendo prudentissimi quique legum latores invigilaverint, numquam tamen dignas tanto maleficio, & tam perniciosi exempli crimine, reperire potuerint pœnas. Nam ut eleganter Cic. *in orat. pro Rosc. Amer. Si id, quod præclarè à sapientibus dicitur, vultu læditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, jura divina atque humana cogebant?* Nemo igitur miretur, si novo delicto novam & inauditam Romani pœnam excogitaverint. Nemo culleum, verbera, & serpentium contubernia queratur. Nemóque, ut Cic. 4. *Tuscul.* inquit: *Parricida supplicio misericordia commoveatur.* Nam neque facilliori pharmaco potuit huic morbo mederi, & quos natura ipsa in officio retinere non valuit, ii magnitudine pœnæ, maleficio submoveri debuerunt. Et Plat. teste, *dial.* 9. *de legib. Si possibile esset sæpius aliquem mori, justissimum esset, sæpius parricidam occidi.* Præsertim cùm verissima sit illa Maximiliani Imperat. (quam refert Mantua *sing.* 16. *n.* 3.) sententia, à quo cùm pro quibusdam, quos rotæ suplicio affici jusserat, aulici quidam, ut mitius plecterentur, contenderent, nusquam tamen id impetrare potuerunt, quòd diceret, multos homines barbaros & insolentes, non mortem sed mortis genus formidare solere. Et ut præclarè Symmach. *lib.* 2. *epist.* 2. ait: *Tantùm denùo legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverunt.*

CAPUT III.

De parricidii nomine & orthographia : Qui olim qui hodie parricidæ dicantur. De parricidii quæstoribus , & eorum officio , & origine plura. Vulgata Pomponii ſ. C. lectio contra aliquorum emendationem asserta. Fest. Pomp. ex Scalig. sententia correctus.

His ita de hujus severissimæ pœnæ imponendæ ratione generaliter prælibatis ante quàm specialem ejus tractationem aggrediar, necessarium duxi, de parricidis acturus, ipsius nominis etymon in limine declarare. Olim igitur parricidæ, non hi modò, qui parentes vita privassent : sed & qui qualemcumque hominem occidissent, appellabantur : quod, & Fest. Pomp. testatur, *in verb. Parric.* & Plutarc. *in Romul.* dum scribit, Romulum homicidium omne vocasse parricidium, neque de eo, qui patrem occidisset aliam tulisse legem, quod illud impium, & nefarium, hoc imposibile judicaret. Quin & lege Romuli idem satis aperte significatur, quæ, ut Balduin. *ad ll. Rom. c.* 11. & Just. Lips. *ad leg. Reg.* ostendunt, his erat verbis concepta, *Parricidæ omnes capite puniunto.* Et alia Num. Pompil. quæ veluti in superioris interpretationem lata, ita (si Fest. *ubi sup.* credimus) scripta erat : *Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.* Quo eodem sensu lege Tribunitia prima, quam Brisson. *lib. 2. de form. pag.* 154. & Rævard. *ad ll. 12. tab. c.* 3. referunt, cavebatur : *Si quis eum, qui eo plebis cito Sacer sit, occiderit, parricida ne sit*, id est, homicidii crimine non teneatur. Unde non improbabilis videtur eorum, ut refert Balduin. super Barth. Zanch. *in annot. ad Salust. pag.* 46. sententia, qui inde parricidam dictum existimant, quasi qui parem, hoc est alterum hominem occiderit. Neque ratio scribendi quorumdam ; inter quos Brisson. *sup. & lib.* 14. *de verb. sing.* & P. Ærod. *lib.* 8. *rer. jud. tit.* 6. & Duar. *ad tit. ad l. Pomp. de parr.* per abusum literam, r, geminatam tradit, quod probat etiam Eguin. Varo *in* §. *alia de pub. jud.* qui *parricidæ & parricidii*, nomina, simplici tantum, r, pingere solent, & pronuntiare. Quamvis ego præstantissimos alios viros sequutus, receptum, & veterum librorum exemplis probatam, orthographiam immutandam non censeam. Sed & quod parricidæ antiquisimus istis legibus, quarum mentionem habuimus capite puniri cœpissent, in causa etiam fuit, ut parricidæ appellatio, translatitiè ad eos omnes extenderetur qui crimina capitali suplicio vindicanda, patrassent. Nam & quadam lege 12. tab. cujus verb. Cicer. refert, 2. *de legib.* & exornat novissimè Ant. Clarus Silvius *ad l.* 12. *tab.* c, *cap.* 18. ita cautum erat. *Sacrum sacróve commendatum, qui clepsserit, rapsseritve, parricida esto.* Et eos, qui ut capitalibus quæstionibus præessent, eligebantur, generaliter quæstores, sive ut Asconius Pedia. 1. *Verr.* ait quæsitores parricidii vocarunt. Inde Festus Pompejus *suprà* : *Parici quæstores appellabantur* (inquit) *qui solebant creari causarum capitalium quærendarum.* Et Pomponius *in l.* 2. §. *deinde cum ærarium, de orig. jur.* Et Fenestella *de magistr. Rom. lib.* quæstores à populo constitui solere tradunt, *qui capitalibus rebus præessent, qui appellabantur quæstores parricidii, quorum etiam meminit lex* 12. *tab.* Quo in loco Pomponii legendum quidam ex Festo *parici* non *parricidii* arbitrantur, & hos quæstores Paricos dictos fuisse sibi persuadent, Contra quos tamen eruditissimus Josephus Scaliger, *in notis ad Festum in parric.* omni opere vulgatam lectionem retinendam, quin & apud Festum etiam reponendam, contendit. Rursus, quam laudat, Pomponius 12. tab. Legem, nullibi reperiri, præstantissimus Jacob. Cujac. *d. l.* 2. advertit : Et vero constat, multis post Reges exactos & receptas 12. tab. annis in emergentibus causis capitales istos quæstores creari Livius namque scribit *decad.* 1. *lib.* 4. anno ab urbe condita 340. plebem Cosso & Medullio conss. Posthumianæ cædis quæstionem, de populi consensu mandasse. Et apud eundem *decad.* 1. *lib.* 9. aliquot post annos, Capuæ de oculta quadam principum conjuratione, Dictatorem quæstionibus exercendis. C. Mævium dici placuit. Quinctium quoque Terentium, anno ab urbe condita 567. de pecunia Antiochi à Lucio Scipione capta, & coacta ex Petilli rogatione quærere patres eodem Livio *decad.* 4. *lib.* 8. teste jusserunt.

Frequenter autem quæstores ipsi ex officio cognoscebant, ut Alex. ab Alex. 2. *genial. cap.* 2. multis exemplis adductis ostendit, subdens eos lictorem & viatorem habuisse, eorúmque jurisdictionem, posteà Triumviros capitales sibi vindicasse, quod & alii etiam Auctores, inter quos Zas. Cujac. &c. *d. l.* 2. observant. Sed & cùm Cornelius Sulla, ut Pomponius *d. l.* 2. *versic. deinde Cornel. de orig. jur.* refert quæstiones publicas de parricidio, & aliis criminibus constituisset, horum quæstorum numerum, ut facilius de sontibus pœnas exigerent, ad viginti propagatum. Alex. *sup.* ubi Tiraq. *in addit.* & alii commemorant. Verùm enim verò, ut in viam ex diverticulo redeamus, licèt olim ita latè Parricidii nomen pateret; posteà tamen, ut Priscianus *lib.* 2. *de ling. Lat.* ait, qui patrem, aut matrem, vel aliam personam ex his, quæ appellatione parentum continentur, interfecissent, eo nomine notari cœperunt, licèt per abusionem, ut Quint. *lib.* 8. *inst. cap.* 6. cum Alciat. *lib.* 4. *de verb. sign. in princip.* & Charitino *lib.* 4. *de Catachresi loquente* : & Joan. Bellon. *de figur. jur. figur.* 16. his verbis ostendit : *Et parricida matris quoque, aut fratris interfector, quod abusio est.* Inde Horatius 3. *car. od.* 29. *Telegoni juga parricidæ.* Et Cicer. *in parad. Patrem*, inquit, *vita privare per se scelus est : Sanguntini, qui parentes quos liberos emori, quàm servos videre maluerunt, vita privarunt, parricidæ fuerunt* : D. quoque Aug. *lib. unic. de patient. In ipsis* (ait) *parricidiis, quanto propinquiorem quisque peremerit, tanto judicatur immanior.* Interdum etiam ad fratrum interfectores hoc nomen, sed cum adjunto porrigi cœpit : Cic. *pro Cluent. In ipso fraterno parricidio nullum scelus prætermissum videtur.* Liv. *lib.* 40. *In eas cœna dicitur venenum datum, poculo epoto extemplò sensit & mox coortis doloribus in cubiculum recepit sese, crudelitatem patris conquerens parricidium fratris,* interdum & sine adjuncto : Unde D. Hieron. *epist.* 4. *ad Rustic. in c. in apibus* 7. *q.* 2. *Imperator* (inquit) *unus, judex unus, provincia, Roma ut condita est, duos fratres non tulit, & parricidio dedicatur.* Nonnunquam etiam, quod patria, patriæque Principes paterna veneratione coli debeant, *l. veluti de just. & jur.* qui in eos aliquid moliuntur, parricidæ appellantur. Sic Cicer. 2. *Philip. Potest cuiquam utile esse fœdissimum parricidium patriæ.* Sic Suet. Valerius, & alii quos plenè diligentissimus Brisson. *lib.* 2. *de formul. pag.* 256. *& lib.* 14. *de verb. sign.* & Tiber. Dec. 2. *tom. crim. lib.* 9. *cap.* 5. congesserunt, Cæsaris, & aliorum Romanorum Imperator. interfectores, passim parricidas appellant. De quo tamen ego pluribus alio loco tractabo, nunc hæc adduxisse sufficiet, quibus ni falor, non ineptè expositum manet, latè patentem Parricidii appellationem, strictioribus terminis jam hodie conclusam, & ut plurimum parentum occisoribus applicatam.

CAPUT IV.

Solonem & Romulum nullas in parentum interfectores leges tulisse. Id meritò factum, multis & testimoniis, & exemplis ostenditur. Naturam ne suspicari quidem parricidium permittere. Leges facinora interdum non tam prohibere quàm admonere. Prohibitionem & punitionem ad facinus invitare.

Mirum sanè videri non debet, proprio vocabulo parricidii nefas, olim apud Romanos caruisse, quippè in quorum mentes, ut Cicer. *pro Rosc. Amer.* ait, nunquam venerat *futurum aliquem ullo seculo fore, qui tam immane facinus audaret, quod si quando auditum sit, portenti, ac prodigii simile numeratur.* Atque inde Solon, qui Athenensibus, & Romulus qui Romanis leges scripserunt, nullam se peculiarem in parricidas legem tulisse, respondisse referunt Cicer. *pro Rosc.* Plut. *in Romul.* Paul. Oros. *lib.* 5. *cap.* 16. Diog. Laërt. *in Solon.* quòd non sperarent, quemquam, qui tam impium maleficium committeret, extiturum. In quo prudentissimum horum legislatorum judicium merito Cic. *supr. vers. prudentissima*, laudibus effert, cùm de eo nil sanxerint, quod anteà commissum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere facinus viderentur. Leges namque, quibus boni non egent, malos, & suopte ingenio in omne vitium labentes mortalium animos, nihilo deteriores, ut Diog. Laërt. *in ejus vita*, dicebat, efficiunt : sed imò ad peccandum interdum allicíunt, & movent. Quod ostendere volens Apost. *ad Cor. c.* 15. *in fin ad Rom. c.* 7. legem quæ peccatum prohibeat, non dubitavit dicere, virtutem esse peccati. *Aculeus* (inquit) *mortis est peccatum, virtus autem peccati lex.* Verissimè omninò, nam ut D. August. *lib.* 13. *de civit. Dei cap.* 5. hæc Apostoli verba declarans, scribit : *Auget prohibitio desiderium operis illiciti, quando justitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas ejus dilectionem vincatur.* Et ferè semper frequentius ea videmus, committi, quæ sæpius vindicantur, & maleficia anteà non cogitata, nec cognita, ipsa quodammodo prohibitione & punitione doceri, & instigari, ut in parricidii, de quo agimus, crimine usu venisse, Seneca *lib.* 1. *de Clem.* his elegantissimis verbis ostendit : *Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quàm omnibus seculis insutos accepimus. Multò minus audebant liberi nefas ultimum admittere, quandiu sine lege crimen fuit. Summa enim prudentia altissimi viri & verum naturæ peritissimi, maluerunt, velut ineredibile scelus, & ultra audaciam positum præterire, quàm dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidæ cum legè cœperunt, & illis facinus pœnæ monstravit ; pessimo loco pietas fuit postquàm sæpius culleos vidimus quam cruces, &c.* Et Hercules, quòd Solon, & Romulus parricidii crimen nunquam fieri posse censerent, atque ideò impunitum suis relinquerent legibus, non omnino exemplis carere videtur. Nam & Licurgus nullam adversus adulteros Lacedæmonios legem scripserat, cujus rei causam Spartanus quidam interrogatus, respondit, ut Plutarch. *in vita Licur. & in apophteg. Laton.* recenset, minimè existimasse Licurgum, Spartæ aliquod adulterium posse contingere. Et Persæ, ut Herodotus, *in Clio.* & Joan. Stobæus *serm.* 44. (unde & hanc præsumptionem nonnulli ex nostris juris auctoribus probant, ut constat Tiber ex Decian. *tom.* 2. *crim. lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 2.) afirmant, adeò incredibile esse existimabant, quemquam in id sceleris & audaciæ prærumpere, ut parentes, à quibus vitam accepit, vita privaret, ut parricidam, pro notho & spurio habendum, suis legibus sanxerint, ratí legitimam sobolem nihil posse in perniciem parentum moliri. A quibus non longè abfuisse pater ille videtur, cujus estat apud Valerium Maxim. *lib.* 5. *cap.* 9. *in fin.* historia, qui cùm à filio necti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, ut verum sanguinem ad hoc sceleris progressurum crederet : filio in desertum locum perducto, gladium, quem secum attulerat tradidit, ac jugulum ferendum præbuit, nec veneno, nec latrone ei ad per agendum parricidium opus esse, affirmans. Quo facto non paulatim, sed magno impetu rectâ cogitatio pectus juvenis occupavit, continuòque abjecto gladio, *Tu verò* (inquit) *pater vive, & si tam obsequens es, ut hoc precari filio permittas, me quoque exupera, sed tantùm quæso, ne meus erga te amor eo sit vilior, quòd à pœnitentia oritur.* Qui sanè omnes justissimè id sibi persuadere potuerunt, nam ut Cicer. *pro Rosc. Amer.* Eleganter scribit : *profectò res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest : magna est enim vis humanitatis : multum*

tum valet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum, atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indignissimè luce privarit: cum etiam feras inter sese, partus, atque educatio, & natura ipsa conciliet.

CAPUT V.

Parricidii pœnam, à Solone & Romulo prudenter omissam: non minus prudenter posteà, hominibus in hoc scelus sæpe ruentibus, constitutam. Leges pro temporum varietate mutari oportere. Parricidium quis primus Romæ patraverit? Livii in hac re & Plutarchi dissentio. Tulliæ, Servii Tullii Romanorum Regis filiæ parricidium, & tempore & immanitate primum videri.

LIcèt propter eam, quam superiori capite scripsimus, causam, Romani parricidii crimen proprio nomine, & peculiari supplicio, olim destitutum reliquerint: postea tamen cùm homines ab aureæ illius ætatis probitate desciscentes, in omnia scelerum portenta declinarent, & ut scitè Ovidius 1. *Metam.* expressit, vita, pietate, & Astrea terris expulsa, vir conjugis, & illa mariti exitio imminere, & filii ante diem in paternos annos inquirere cæpissent: atque ita intelligerent prudentissimi quique rerum publicarum gubernatores *nihil esse tam sanctum, quod aliquando*, ut Cicer. *de orat. pro Roscio.* scribit, *non violaret audacia*, scelleris hujus (proh dolor) singulare, exemplareque supplicium necessarium esse, ejus frequentia moniti cognoverunt, & sapienter à Solone & Romulo prætermissum; non minus sapienter pro temporum vicissitudine fore constituendum. Nam & si Symmachus, *libr.* 10. *Epist.* dicat *leges in commune bonum procedentes, nunquam occasum pati*, verius tamen est, consenescere eas, languere interdum, & mori, ut ex optimis auctoribus docet Fran. Juretus, *in not. ad Symm. lib.* 2. *Epist.* & secundùm varietatem temporum, ut Pontifex Innocent. *in cap. non debet de consang. & aff.* admonuit humana quandoque statuta absque reprehensione variari. Sic enim Claudianus.

> =*Priscamque retumunt*
> *Canitiem leges, emendanturque veterna,*
> *Acceduntque novæ.*=

Et apud Livium, *lib.* 34. Lucius Valerius de lege Oppia abroganda agens. *Quemadmodum* (inquit) *ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa, in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reip. inutilem fecit: sic, quas tempora aliqua desideraverunt, leges mortales, ut ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video.* Undè Prothei modo ipsis quoque occasionibus leges variabiles esse oportere, Sextus Cæcilius apud Agellium *lib.* 20. *cap.* 1. Jurisconsultus non inficiatur: quin pro temporum moribus, vitiorumque, quibus medendum est fervore, & frequentia mutandas, aut etiam denuò ferendas esse confitetur. Quod, ut alia exempla deficerent, ipso hoc de quo noster est sermo, parricidii crimine, apertissimum redditur, cui perniciosissimo Reipub. damno, contra Solonis & Romuli opinionem nascenti, & in dies magis ac magis pullulanti, oviam eundum fuit, & tam pestilenti morbo congruo remedio subveniendum; quæ omnia non sensisse modò, verùm eleganter etiam expressisse Paulus Orosius *lib.* 5. *hist. cap.* 16. *in fine*, non dilutæ auctoritatis scriptor videtur, sic inquiens. *Igitur talem Marii triumphum, Romanamque victoriam, incredibile facinus, & nunquam antè Romanis cognitum, Romæ subitò perpetratum, versa in horrorem, ac mœrorem tota urbe fuscavit. Publicius quidam Malleolus, servis annitentibus, matrem suam interfecit. Damnatus parricidii, insutusque culleo, in mare projectus est: impleveruntque Romani facinus & pœnam, unde Solon Atheniensis decernere ausus non fuerat, dum fieri posse non credidit: & Romani, qui se ortos à Romulo scirent, etiam hoc fieri posse intelligentes supplicium singulare sanxerunt.* Eo itaque hominum audacia procedente, ut neque hoc scelus intentatum relinquerent, necessitas quodammodo pœnam extorsit. Nam præter Publicium Malleolum, quem primum hujus criminis auctorem Orosius in *supra dicto loco* Livium *lib.* 48. sequutus commemorat, anno, ut Joannes Coras. 1. *misc. cap.* 5. & Didacus Covarr. *in clem. si furiosus in init.* 2. *part. numer.* 1. existimant, ab urbe condita C. D. Lucius deinde Hostius, ut Alexand. ab Alexand. *lib.* 3. *genes. cap.* 5. & Cælius Rodiginus *lib.* 11. *cap.* 17. referunt, parricidii insimulatus, pari ac Malleolus supplicio necatus, & concruciatus, pœnas rependit. Nisi magis Plutarcho *in Romul.* assentiri velimus, qui hunc Lucium Hostium primum fuisse, qui parricidium commiserit, his verbis testatur. *Ac multa secula vitus est rectè ejusmodi injuriam futuram desperasse: nemo enim sexcentis post annis Romæ tale facinus perpetravit: sed post Hannivalis bellum Lucius Hostius fertur primus patrem occidisse.* Quamvis ego primam haud dubiè hujus sceleris ream, & quæ crudelitate cæteros qui usquam fuerint parricidas superasse videretur, Tull. Servii Tulli Romanorum Regis filiam fuisse censerem, quæ ut Livius *lib.* 1. Valerius *lib.* 9. *c.* 11. Dionys. *lib.* 4. Sabellic. *exemp. lib.* 3. *c.* 9. *in fine*, Alex. *lib.* 2. *genial. c.* 6. & alii tradiderunt, cùm improba regni cupiditate commota, patrem à Tarquino superbo cui nupta erat interficiendum curasset, postquam jam immane illud parricidium commiserat, prætervehens ipsa carpento, infestis furiis agitata, supra patris defuncti corpus vulneribus, & plagis affecti, vehiculum duci jubere non dubitavit. Ob cujus inhumanum scelus, & rei fœditatem, non solùm se æterna infamia, sed locum etiam ipsum cognomine sceleris commaculavit, & brevi, patris manibus ab impia filia pœ-

pœnas exigentibus, exulare coacta, regnum malè partum amisit. Unde Valerius Maximus *ubi supra*, hoc crudelitatis exemplum *Tempore vetustissimum, conscientia nefarium, voce improbum ac monstri simile* appellat, & Seneca *in Octav. actu* 1. infandum his verbis.

> =*Dedit infandi*
> *Sceleris panas cum Tarquino*
> *Tullia conjux, quæ per cæsi*
> *Membra parentis, egit sævos*
> *Impia currus: lateroque veni*
> *Violenta rogos nata negavit.*

Sed & subscribam verba Nasonis, *6. Fastor.* qui postquam Tulliam, maritum in necem patris suadentem inducit, non minùs appositè atrocis hujus criminis impietatem ita prosequitur.

> *Regia res scelus est: vocero cape regna necato,*
> *Et nostras pœnas cum Tarquino tinge manus.*
> *Talibus instinctus, solio privatus in alto,*
> *Sederat: attonitum vulgus ad arma ruit.*
> *Hinc cruor, & cædes: infirmaque vincitur ætas:*
> *Sceptra gener socero rapta superbus habet.*
> *Ipse sub Esquiliis, ubi erat sua regia, cæsus,*
> *Concidit in dura sanguinolentus humo.*
> *Filia carpento patrios initura penates*
> *Ibat per medias alta feroxque vias.*
> *Corpus ut aspexit, lacrymis auriga profusis*
> *Restitit: hunc tali corripit illa sono.*
> *Vadis an expectas pretium pietatis amarum?*
> *Duc, inquam, nostras ipsa per ora rotas.*
> *(Certa fides facti) dictus sceleratus ab illo*
> *Vicus: & æterna res ea pretia nota est.*

Sed neque exemplo hoc supremum maleficium caruisse videtur, nam literarum etiam monumentis proditum est, Plutarchum *in paral. apud Alex. sup.* Bapt. Fulg. *lib.* 9. *cap.* 11. *in princ.* Eucratidem Bactrianorum regem, virtute, ac rebus præclarè gestis nulli secundum, ingenti ab Indis victoria parta, triumphantem, & opimis spoliis refertum, se se in patriam, ut suis gratularetur, recipientem, filii insidiis, cui absens regni habenas dederat, exceptum, & miserè trucidatum fuisse: nec eo scelere contentum filium, pari ac Tullia audacia, per corpus patris vulneribus sauciati currum agere. & insepultum cadaver abjicere non dubitasse. Ut sic vel his exemplis appareat, facilius posse summorum vitiorum, quàm virtutum imitatorem reperiri, & non omnino (ut Franc. Patric. *de regn. lib.* 8. *tit.* 9. alt) contemnendam videri vocem illam qua dicitur, *Nullum regnum sine domestica cæde, aut parricidio esse solere.*

CAPUT VI.

Filiorum, qui apud varias gentes parentes occiderint, plurima exempla relatu non injocunda. Bessi Pæonensis parricidium, ejusque ultio miraculosa. Filios non minus, quam extraneos parentum vita insidiari, Accursii, & aliorum hanc in rem testimonia in medium adducta. Nationes quasdam ex more parentibus necem inferre, & alias eorum carnibus vesci, alias canibus tradere, alias è saxo dejicere. Sardonius risus unde.

FUerunt & alii apud omnes gentes, nationesque, qui parricidium committere neutiquam veriti, & omnia divina, atque humana jura turbantes, passim in antiquiorum, & recentiorum auctorum commentariis, non sine execratione commemorantur. In quibus ego referendis, non est, cur longiorem rationem nunc facere velim, cùm me aliorum, sc. Theat. vitæ hum. *vol.* 39. *lib.* 2. *pag. mihi* 3517. Ravis. Textor *in offic.* Bapt. Fulg. *lib.* 9. *cap.* 11. diligentia hoc labore levaverit, & singulis prope nostræ hujus tractationis paginis, rerum dicendarum ordine requirente, frequens multorum mentio facienda sit. Sed subjiciam nihilominus aliqua parricidarum quorumdam exempla, quæ, vel aliis minùs cognita, vel lectoribus minus ingrata futura fore censuerim. Et ut ab Hecata initium dicendi faciam: Ea, sanguinaria quædam, ut Diod. *lib.* 2. *bibl.* Cæl. Rhod. *lib.* 11. *cap.* 21. Coras. 1. *misc. c.* 5. & alii enarrant, fœmina fuit, quæ prima; quò Persam patrem occideret, uconitum invenit. Ptolomæum etiam scribit Polybius, & *ex eo* Fulgos. *lib.* 9. *cap.* 9. ex facinoris crimine quòd patrem vita exuisset Philopatora cognominatum. Sed & Ardiæum Pamphiliæ tyrannum, annis jam fessum parentem, & insuper natu majorem fratrem vita privasse, locupletissimus auctor est Plato *lib.* 10. *de Repubi.* Attaxerxis item filios de interficiendo patre conspirasse: Et Antipatrum matrem suam Thessalonicem per materna ubera viram deprecantem occidisse, Balduinus *in §. alia deinde de inst. de pub. jud.* noster ex aliis recenset. Neronis quoque cùm alia, tùm verò Agrippinæ matris præcipuo loco à Xiphilino ex Dio. in Nerone. latè Tacitus *lib.* 14. *ann.* & Philoster. *in vita Apoll. lib.* 4. *cap.* 12. *ad fin.* ubi Ner. eleganter invehitur, parricidium commemoratur, quam cùm primùm occidere dolis tentaret, & impositam navi submergere re non succedente, Aniceto occidi jussit, causatus eam sibi insidiatam fuisse, & quòd ejus opera, multa facinora perpetrasset. Sed neque minùs impium Nicomedis scelus esse videtur, qui, ut Justinus *pagin.* 290. & Fulgosus *lib.* 9. *cap.* 8. referunt, indulgentissimum patrem Prusiam Bithyniæ regem, à quo regni gubernacula vivo adhuc acceperat, immanissimè trucidavit. Phraatis etiam, Horodis Parthorum regis filii detestandum facinus præterire non potest, qui parentem cum triginta filiis, quamquam ab ipso regni successor designatus, occidit, gravitérque pauci temporis moram in vicino jam morti patre ferens, cùm venenum patrum proficere videretur, brevissimam interficiendi viam aggressus, propria manu illum præcluso spiritu (ut post Plutarc. *in Ant.* Fulgosus *lib.* 9. *cap.* 11. retulit) suffocavit. Dionysium quoque, matrem per venenum necasse, & Leptinem fratrem, cum in navali prælio servare posset, interfici passum fuisse *lib.* 14. de varia histor. narrat Ælian. Sed & vindicat sibi in hac parricidarum tragœdia non ultimum locum, Caii Toranii atrocitas, licèt ei non ademerit vitam, qui sibi vivendi causas suggessit, dedit tamen operam, ut patrius aliorum manibus sanguis effunderetur. Namque trium virum partes sequutus, proscripti patris, sui prætorii & ornana-

nati viri latebras, ætatem, notasque corporis quibus agnosci posset, Centurionibus edidit, qui eum persequuti sunt. In quo tamen facto, quod Valerius *lib. 9. c. 11.* Apian. *bellorum civil. lib. 4.* adjicit silentio involvi non potest. Senem nempe de filii magis vita, & incrementis, quàm de sua solicitum, an incolumis esset? & an Imperatoribus satisfaceret? interrogare Centuriones cœpisse: E quibus unus: Ab illo inquit, quem tantopere diligis demonstratus, occideris: protinusque pectus, ejus gladio trajecit; collapsusque est senex infelix, auctore cædis quàm ipsa cæde miserior. Idem penè de Villio Annali ab eodem Valer. *cod. loco.* narratur, qui cùm proscriptus ad clientem suum confugisset, sceleratus filius, per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidendum eum in conspectu suo objecit, bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo. Telegonus etiam, ut Dictys Cretensis *de excid. Trojæ lib. fin. in fin.* recenset, Ulyssem Patrem qui, somniorum diritate contritus latitabat, hastili confodit. Unde Horatius 3. *carm. Od.* 29. eum parricidam appellat, quamvis Homeri interpres, ut Lambinus *ad Horatium suprà*, testatur, hoc à recentioribus poëtis confictum fuisse arbitretur. Ego verò, & si certum id fuerit, non tamen censeo inter impios Telegonum omninò connumerandum, cùm in Ithacam patris amore ductus, veniens, inscius & imprudens hoc facinus perpetraverit, luctuque & mœrore maximo, patris morte comperta fuerit affectus. Nec absimili ratione, excusari quoque posse Alemæonis & Orestis parricidium existimo, quorum ille, Eriphilem matrem, quòd Amphiarum patrem Policini prodidisset: hic Clytemnestram, in Agamemonis patris ab ea interfecti vindictam occidit. Verum de his, & aliis similibus casibus, peculiaris alio loco nobis habendus est sermo, *infrà lib. 2. c. antepenult.* Nunc Bessi Pæonsensis parricidium, & miraculosam ejus ultionem superioribus subnectemus. Hic enim, ut ex Plutarco *de sera numin. vind.* Petr. Ærodius *lib. 4. rerum jud. tit. 11. cap. 8.* scribit, cùm patrem interfecisset, crimen diu fuerat obscurum. Tandem inter cœnandum, multis una epulantibus, cùm supervolitassent hirundines, atque ei præcipuè obstreperent, exiliit mensa, baculoque deturbans nidum, pullos in terram projectos, ac si furore corriperetur, pedibus iterum iterumque proculcat. Cumque, qui aderant, cur id tam inhumaniter postularent, respondit: jam diu in se eas falsum testimonium dicere, garrire & personare se parentem occidisse. Quibus verbis ad Principem delatis, reque omni diligentiùs discussa, Bessus parricidii damnatus, meritas pœnas rependit, hirundinibus eum, non secus, ac Grues Ibici poëtæ occisores, prodentibus, de quibus Ausonius *in Monosyllab. Ibycus ut periit. vindex fuit altivolans Grus.* Verum quid singulos parricidas recenseo? aut quid frustra horrendi hujus criminis reos in compendium redigere conor? cùm adeò homines (heu dolor) humanitatem exuerint, ut non urbs ulla, non domus, his naturæ monstris vacare videatur.

Jam in ipsum pietatis asylum ferox erumpit audacia: jam præmaturo voto hæreditatis occupandæ, omnium malorum radix avaritia, in patris fata filium impellit. Unde rectè Ovidius *1. metam.* dicere potuit.

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Nec minus rectè Justin. *in auth. ut cum de appell. cog. §. causas* filium meritò exheredatum videri, *si parentibus suis manus intulerit: si gravem & inhonestam injuriam eis ingesserit: si eos in criminalibus causis accusaverit: vel eorum vitæ per ventrum, aut alio modo insidiari tentaverit.* Et alibi *in §. penul. inst. quod cum eo.* ideò Macedoniano Senatus consulto prohibitum fuisse, mutuas pecunias eis dari, qui in potestate parentum essent, *quia sæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant vitæ parentum insidiabantur.* Ex quibus eleganter ut pleraque alia, deduxit Acurs. *in l. fin. verb. alienæ Cod. de pact.* quem *ibi* Jas. Alex. Dec. Purpur. & alii sequuntur, & Menchaca *in l. lib. n. 5. C. de inoff.* Tiber. Decian. *lib. 9. crim. c. 9. n.* 13. non magis à filiis, quàm ab extraneis, pactum super patris viventis hæreditate utiliter fieri, cùm captandæ paternæ mortis timor (quæ fuit pacti improbandi ratio) *d. l. fin.* in filiis non minus, quàm in cæteris adsit quod elegantissimè etiam ostendi Terentius in Adelph. sic inquiens:

Porrò autem dum studeo illis ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero odium:
Meam autem mortem expectant.

Faciam igitur huic capiti finem, si prius illud pro coronide, quod superioribus admodum convenit, animadverterim, quarumdam gentium, celebertimum, & multis retro seculis observatum morem viguisse, ut senio jam confectos parentes, filii perimerent, & quod belluinam supergreditur feritatem, eorum item carnibus vescerentur. Quod de Indis & Massagetis historiæ pater Herodotus, *lib. 3.* Strabo, *lib. 2. Geog.* Cæl. *lib. 11. c. 18.* Pet. Greg. *lib. 36. Syntag. c. 24. n. 29.* & alii recensent: & de Caspiis, qui parentes ubi septuagesimum annum excessissent, domi inclusos, fame necare consueverunt, Cælius Rhodiginus *libr. 11. lect. anti. c. 21.* testatur. Sed & Bactrianorum hac in re crudelitas omnem fidem superare videbitur, nisi multorum auctorum inter quos Cæl. *sup.* Alex. ab Alex. *3. gen. c. 2. Corr. 1. mis. c. 5.* Balduin. *in §. alia deinde*, qui alios referunt, Tib. Decian. *lib. 9. crim. c. 15. n. 32.* adseveratione confirmaretur, qui jam senio confectos parentes, vivos canibus apponebant, ad hoc ipsum de industria enutritis, quos ea ratione sepulchrales vocabant. Quin, & Sardis lex erat, si qua Æliano *de var. hist. lib. 4.* fides adhibenda est, ut filii patres, jam senectute graves, fustibus cæderent, & interemptos sepelirent: absurdum arbitrantes, si delirus senex ulterius in vivis ageret, in fraudemque & peccatum, corpus senectute grandæva maceratum impellerentur: ridebantque, interim ma-

maximè, pereuntes parentes, se feliciter & beatè mori existimantes, quòd liberorum impietate mortem opperterent. Unde, ut Erasmus, *Chil. 3. Cent. 7. adag.* 1. & ex Timæo Bapt. Pius *annot. c. 6.* adnotarant *Sardonius risus* proverbii vice apud antiquos usurpari cœpit.

CAPUT VII.

Parricidium qualiter fuerit ab Ægyptiis, Hebræis, Græcis, Persis, Macedonibus, Lusitanis, & aliis gentibus vindicatum. Romanos non parricidium modò, sed & verberatum à filio patrem graviter vindicasse. Servi Tullii lex in hanc rem allata, & diligenter expositа. Quid sit plorare. Quid quiritare. Quid jubilare. Sacer homo quis. Quæ sacratæ leges. Sacer homo cur impunè à quolibet occidi posset. Ex Macrob. pulsati parentis pœna. Virgilii, Ulpiani, & Senecæ de hoc delicto sententiæ.

IGitur mortalibus, in hoc (ut in reliqua alia) parricidii crimen frequentissimè prorumpentibus, in tanta hujus sceleris ubertate, prudentissimè singulæ fermè gentes singulares, tanto maleficio pœnas excogitaverunt. Nam etsi Plato quem refert Connanus *lib. 1. comm. cap. 10.* caput Hydræ amputare eos dicat, ut est in proverbio, qui singulis delictis, legibus conatur occurrere: tamen, ut non minùs rectè Arcesilaus relatus ab Erasm. *in Apophthegm. in Arcesi.* dixisse memoratur, quemadmodum ibi multi sunt medici, ubi multi sunt morbi, ita ubi plurimùm vitiorum esset, per multas quoque leges esse oportebat. Et ut alia maleficia, vel non puniri, vel remissius coërceri potuissent: hoc ramen, de quo loquimur, novum in se & atrox, novis quoque & atrocibus, severisque suppliciis omnino vindicari debuit. Nam ut præclarè Tullius *in orat. post redit. ad Senat.* inquit: *Parentes carissimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est, quæ omnia in illorum violatione violantur.* Inde ei, qui parentem occiderit, naturæ legibus vivere non licere, Jul. Capitolinus *in Anton.* testatur; & Quintilianus, *in declam. 299.* maximum omnium scelus, parricidium vocat, *& cum in hujus criminis cruciatum omnia commenta antiquitas fuerit, citerior tamen* (ait) *est pœna quàm scelus.* Apud Ægyptios ergo, patris, matrisve interfectorem (ut ex Diodoro Siculo, *lib. 2. cap. 3.* Alexand. *3. gen. cap. 5.* Covarr. *supr.* Plaza *in epitom. delict. cap. 22. num. 1.* Joann. Bohem. *de morib. omn. gen. libr. 1. capit. 5.* alii recensent) adeò gravi animadversione coërcebant, ut eum per singula membra acutissimis calamis impeterent, mox munitissimis ictibus consociatum super spinarum acervum comburerent. Macedones, Alex. *supr.* teste parricidas, & Majestatis reos, quin & eos quoque, qui illos quovis gradu contigissent, saxis obruebant, quod & Lusitanis moris fuisse Strabo *lib. 3. Geog.* & Bohemus *supr. lib. 3. cap. 24.* testantur. Neque aliter Mosaica lege apud Hebræos hoc crimen vindicari inde colligitur, quòd in Deuteronomio, *cap. 21.* filius contumax, & protervus lapidari jubetur. Sed & divinus Plato *9. de legib.* non passus tantum maleficium inultum relinqui; prudentissimè statuit, magistratuum jussu ab eorum ministris parricidam occidendum, trahique debere nudum in statutum trivium, ubi universi magistratus in caput mortui lapidem mitterent, & ita civitatem omnem purificarent, ac deinde ultra regionem exportarum corpus projicerent. Græcis quoque eandem lapidationis pœnam in usu fuisse, non obscure constare poterit ex Electra sic apud Euripidem *in proœmio Orestis* verba faciente

Argivis autem edictum est, nec nos tecto recipi.
Neque ignis usu juvari, nec quemquam nos alloqui fas sit.
Ut parricidas. Hæc autem profinita diis est.
In qua tententiam ferat, ac decernet Argivorum urbs.
An nos lapidibus obrutos perire.
Oporteat: anne gladio jugulum ferire?

Constantin. Harmenopulus *lib. 9. Epitom. tit. 6. in fine*, legem ita conceptam reliquit. *Qui ascendentem, aut descendentem, propinquumve interemit, igni traditor.* In Wisigothorum etiam legibus, *Lege Wisig. lib. 6. tit. 5. lib. 17. & 18.* ultimam huic sceleri animadversionem, omniumque bonorum amissionem infligendam esse, docemur. Et apud Mediolanenses municipalibus statutis ea, teste Julio Claro, *lib. 5. sentent. §. parricid. num. 5.* imponitur pœna, ut parricidæ, ad equi caudam adstricti, & alligati, per urbem trahantur, moxque rotæ lignæ intexti, miserabiliter secati dispereant. Horatius *Epod. 3.* cùm allium vehementer propter illatum ei damnum detestaretur, judicaretque cicutam minus, ac lentiùs corpus cruciari, tantum venenum, in parricidii criminis pœnam usurpandum fuisse, his verbis demonstrat.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edit cicutis allium nocentius, &c.

Et *lib. 2. Od. 13.* cùm in arborem excandescere, cujus casu ictus fuerat, illam ab eo plantatam fuisse ait qui patrem interfecisset.

Illum & parentis crediderim sub fregerit cervicem, &c.

Julius verò Cæsar ut Sueton. *in Cæsare cap. 24.* tradit, parricidas severissimis suppliciis affectos, bonorum etiam omnium damno multabat, quod (ut Justus Lipsius *lib. 6. Annal. Tacit.* ostendit) olim non nisi in atrocissimis criminibus fieri solebat. Quo fit, ut non abs re inter exempla summæ indulgentiæ Antonini Pii, illud Capitolinus *in Antonino Pio*, constituat, quòd parricidam in insulam desertam duntaxat remiserit, quia ei naturæ legibus vivere non licebat. Theodorici Regis Gothorum filia, à Theodato Rege Tusciæ, quòd matrem sacrum Domini corpus sumentem, veneno interemisset; incenso fortiter balneo, ejus vaporibus

suffocata est, ut Petrus Gregor. *lib.36. cap.24. num.* 18. testatur. Sed & curiam Parlamenti Gallici Tarquetium majorem, qui parentem suum Pictaviensem electum occidi curaverat, discerpi primum candente forfice, deinde artus ad roram adfringi voluisse,ac postremò concremari ex Theatro vitæ humanæ *vol.19. lib.2. pag.* 3517. cognovimus. Romanis majorum more, nova quædam & singularis (ut statim trademus) pœna in usu fuit: apud quos, jam inde á primis urbis cunabulis, illatæ parentibus á filiis injuriæ, ex Servii Tullii legibus severissimè quoque vindicabantur. Inter quas ut refert Festus Pompejus, *lib.* 14. *de verb. sig. in plorare*, quædam erat ita concepta. *Si puer parentem verberit, aut olle plorassit parentes, puer Divis parentum sacer esto*: quâ in lege, ut & hoc obiter animadvertemus, *Plorassit parentes*, ut idem Festus exponit, idem est quod *clamarit*. Solebat enim (ut rectè Jacobus Ræyardus *ad l. xii. cap.* 13. & tradit alia Christ. Colerus *parerg. cap.* 13. admonuit) is cui vis aliqua fiebat, si quidem rure ageret, jubilare, sin verò in Romana civitate, & civis esset, proquiritare, idest aliorum civium auxilium exposcere. Unde illud Terentii *in Adelp. Obsecro populares ferte misero, atque innocenti auxilium subvenite inopi*: In quem locum Donatus, *Et hoc est* (inquit) *quod veteres quiritare dicebant, quirites conclamare.*

Quod & M. Varro *lib. 5. de ling. Latin.* his verbis explicuit: *Vicinaque horum quiritare jubilare. Quiritare dicitur is qui Quiritium fidem clamans implorat, ut quiritare urbanorum,sic jubilare rusticorum.* Quod verò in supra scripta lege filius patrem verberans Divis parentum sacer esse jubetur, eum sensum idem Festus *lib.* 17. *in sacr.* habere testatur, ut à quovis sine fraude posset occidi. *Nemo enim* (inquit) *sacer is est, quem populus judicavit ob maleficium neque fas est eum immolari, sed qui occidit, parricidii non damnatur, nam lege Tribunitia primâ cavetur: Si quis eum qui eo plebis citò sacer sit, occiderit, parricida ne sit. Ex quo quivis homo malus atque improbus sacer appellari solet.* Quâ eâdem ratione leges sacratas dictas fuisse, idem Festus *dict. lib.* 17. *in sacrat leges.* (Et corpora Tribunorum & Principum hac etiam ratione sacrosancta dicta ostendit Jacob. Durant. Casel *lib. 1. var. cap.* 1.) & Paulus advertit, *quibus sanctum erat, ut qui, quid adversus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset, cum familia, pecuniaque.* Quam sanctionem in legibus regiis, & in duodecim tabulis frequenter invenire, doctissimus Barnab. Brisson. *lib. 2. de form. pag.* 154. pluribus probat. Quod si quis mirum existimaverit, quod cum cætera sacra violari nefas sit, hominem sacrum jus fuerit occidi: hujus rei causam à Macrobio accipere poterit, qui eam non in eleganter his verbis exposuit: *Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines. Deorum quibus sacrum esset: animas verò sacratorum hominum, quos Græci ἡρῶας vocant, Dii debitas existimabant. Quemadmodum igitur, quod sacrum ad Deos ipsos mitti non poterat, à se tamen dimittere non dubitant: sic animas, quas sacras in cœlum mitti posse arbitrati sunt, viduatas corpore, quàm primum illo ire voluerunt.* Regia igitur lege si pulsatus, à filio parens, parentes conclamasset, parentum Divis filius sacrabatur, devovebaturque, & tamquam impius atque improbus homo à quolibet impunè interfici poterat, quæ lex à Virgilio *6. Æneid.* notata videtur, dum apud inferos graviter eos puniri docet à quibus.

Pulsatuve parent, aut fraus innexa clienti.

Licèt Romani ea perpetuò usi non videantur, cùm scribat Ulpianus *in lib.1. de obsequiis parent. & pat. præst. Si filius matrem, aut patrem, quos venerari oportet, contumeliis affecisset, aut impias manus eis intulisset, præfectum urbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicasse.* Et Seneca *lib. 9. cont.* 4. legem esse dicat, *ut ejus qui patrem pulsaverit, manus præcidantur*: Quam Senecæ legem hodie observari posse, tradit Wesemb. *in parat. de parric. in fin.* quamvis ego eum dumtaxat iterum in potestatem ut ingratum revocari, cautum inveniam, *in l. unica C. de ingrat. lib.*

CAPUT VIII.

Parricidii pœna apud Romanos quæ fuerit. Eam prius à Tarquinio in sacrilegum quemdam usurpatam. Parem videri parricidii, sacrilegii rationem. Quo primum tempore parricidæ culleo inrui cœperint, & an id fuerit legibus, an moribus introductum. Valerii in hac re cum Livio, Modestino, & aliis auctoribus pugna. Et qualiter ab Steph. Pighio Cujac. & Pet. Ærod. composita. Et Valerii emendatio tentata. Nostra tandem de tota controversia, sententia.

SED oportunè jam de singulari supplicio, quod Romanorum legibus parricidis irrogabatur, verba faciemus. Nam & in eo arcana quædam latent mysteria, Eleusinis sacris reconditiora, quæ nos, non absque aliqua lectoris voluptate, & utilitate aperire conabimur: Et Romanos (ut Cicero *pro Roscio Amer.* ait) non modò armis plus quàm cæteras nationes, verùm etiam consilio, sapientiaque potuisse, præstitisseque iis, qui apud cæteros sapientissimi fuisse dicuntur, tum ex hac re vel maximè demostrabimus. Illi igitur infandi hujus criminis reos (ut disertè Tullius, *inp. & lib.2. de invent.* Modestin. *in l. pœna ad l. Pomp. de parric.* Julius Paul. *lib. 5. senten. tit.* 24. Constant. *in l. unic. C. de his qui parent. fuit. in §. alia deinde inst. de publ. jud.* & alii passim auctores enarrant quos suis locis referemus virgis cæsos sanguineis, cum cane, gallogallinaceo, simia, & vipera, culleo insui, atque ita in mare, vel in proximum amnem deturbari voluerunt. Cujus pœnæ expositionem antequàm ex ordine

ne aggrediar, si de ipsius origine, & progressu non nulla tractavero, non omninò oleum me & operam perdidisse censebo. Et sanè Valer. Maxim. *lib.1. c. 1.* (*idem refert Diony. lib.3. qui tamen Attilium hunc Duumvirum vocat*: hoc supplicii genus in Marcum Tull. Duumvirum à Tarquino Rege irrogatum, quòd librum secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commisum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, *non multò post, parricidii lege assignatum fuisse ait; quòd pari vindicta parentum, ac Deorum violatio expiata videretur.* Est enim sacrilegium parricidio proximum: & utriusque sceleris ut plurimum radix est avaritia, ut Anton. Sylvius *ad leges XII. cap.* 81. advertit, ac proinde Polygnot. in descriptione inferorum, prope eum, qui patrem contumeliosè pulsaverat, jacentem sacrilegum pinxit: quem mulier multiplici venenorum, & tormentorum specie cruciare non desinit, ut Pausanias *in Poc.* testatur. Sed est aduc, cur in suprascripto Valerii loco hærere quis possit. Primo dum tradit non multò post Tarquinii tempora cullei supplicium parricidis inflictum: ac rursus dum id lege effectum fuisse demonstrat. Nam illud Tito Liv. *lib.* 48. & aliis repugnat, ex quibus jam alio loco docuimus, primum omnium Public. Malleol. sive ut Plutar. *in Romu.* existimat, Lucium Hostium matre interempta, anno ab urbe condita sexcentesimo hanc pœnam sublisse, atque ita quadringentis amplius annis post Regum tempora. Posterius verò Modest. responso *l. pœna ad l. Pomp. de parric.* non leviter adversatur, quo, hanc de qua agimus pœnam, non lege aliqua, sed majorum more institutam fuisse docemur. Et quidem à prima difficultate, Steph. Pighius *in annot. de Vale* auctoritate manuscriptorum codicum, Valerium absolvit, contendens, negationem ex ejus verbis tollendam, legendumque *multò post*, cùm hoc historiæ, & probatorum librorum fides expostulet: quam emendationem Jacob. Cujac. *in not. ad Paul. lib. 5. sentent. tit.* 24. cum Glareano omni opere admittit, & alterius quoque manuscrip. Codicis, qui in Biblioth. S. Victoris teperitur, testimonio confirmat. A secunda verò ipse idem Cujac. *rod. loc.* Hieron. Magicum *lib. 4. misc. cap.* 8. Valerium liberare contendens, legem ab eo pro more usurpari ait. Mos enim pro lege est, & ut Ulp. *in lege diutur.* & Julian. *in l. de quibus, ff. de legibus*, fatentur, *diuturna & inveterata consuetudo pro jure & lege non immeritò custoditur, & in his quæ ex non scripto descendunt, observari solet.* Ego verò hac in re Pighii, & Cujacii judicio acquiescere nequeo, nam præter Valerium, singulare hoc supplicii genus, nominatim parricidis legibus esse irrogatum, Quintilianus *in declamat.* 299. de eo loquens, his verbis ostendit. *Tumulo tectus videretur cui leges terram negant? cui statim ora, oculosque à judicio lex iussit obduci? &c.* Quin ut optime Petrus Ærodius *lib.8. rer. jud. tit.6. cap.9.* considerat, Cicero etiam ipse, *d. orat. pro Rosc.* hoc apertissimè demonstrat, dum præ

Solone laudat majorum suorum prudentiam, quod ille nullam legibus suis in eum, qui parentem necaret pœnam constituisset. Romani contra: *cùm intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium singulare in parricidas excogitaverint, ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ maleficio submoverentur.* Plane enim immeritò Solon reprehenderetur, si priùs quàm hoc crimen Malleoli facto, & scelere committeretur, nihil de ea re Romani suis legibus decrevissent. Sed & advocari hanc item in partem Orosii *lib. 5. cap. 16. in fine*, auctoritas potest, qui cùm Malleoli parricidio urbem totam mœrore subito turbatam dixisset, statim *impleverunt* (subdit) *Romani facinus, & pœnam unde Solon Atheniensis deterrere ausus non fuerat, &c.* quò fit, ut necesse videatur pœnam hanc jam tum legibus definitam fuisse. Quæ argumenta tanti apud Pet. Ærod. *supr.* fuerunt, ut nihil in Valerio mutandum arbitrarer, & quod Duumviri supplicium non multò post parricidis lege irrogatum esse ait, ad leges duodecim tabularum referendum arbitretur, quarum hanc pœnam constituentium verba sibi agnoscere in Modestino *d. l. penult.* videtur cùm ait: *Cæsum virgis sanguineis insui.* Ego quidem, quo primum tempore hoc apud Romanos supplicium institutum fuerit, nunc amplio, & propter diversas scriptorum sententias mihi non liquere pronuntio. Quod verò ad introductionis modum spectat, lege id, non more receptum fuisse magis existimo: nec uni Modestino, plus quàm Valerio, Quintil. Ciceroni, & aliis, qui una hoc lege inductum consentiunt, tribuere possum. Trahit me etiam in hoc judicium Paul. Orosius, qui in suprascripto capite, Romanos parricidium fieri posse, Malleoli exemplo doctos, supplicium inquit singulare sanxisse, quod quidem loquendi genus legem potius sapit quàm morem: mos namque diuturno usu, & crebris populi exemplis inducitur: lex verò uno ictu, quæ è republica esse videntur, estatuit & sancit *l. de quibus cum sequentibus ff. legibus cap.3. & 4. 1. dist. cap.1. 2. dist.* latè Connanus. *1. com. cap.* 10. Accedit his, modestinum quidquid majorum more, cullei pœna puniri parricidas scribat, non excludere quin ea, lege aliqua induci cœperit: Sæpe sæpius namque pœnæ more majorum sunt, Imponique dicuntur, quæ ex certis aliquibus originem traherent. Sic enim Sallust. *in Catilin. De confessis* (inquit) *sicuti de manifestis rerum capitalium more majorum supplicium sumendum.* Et Varron. *libr.60. Vix hæc fatus erat, cùm more majorum de ponte in Tiberim deturbant.* Et Tacitus *lib.20. annal. Elanguimus, patres conscripti: nec jam ille Senatus sumus, qui olim Neronis delatores, & ministros more majorum puniendos, flagitabat*, & Valerius *lib.4. cap.7. in principio. Nam cùm Senatus Rapilio, & Lenati consulibus mandasset: ut iis eos, qui cum Gracebo consenierant, majorum animadverterent.* Sidonius etiam Appollinaris *lib. 3. epist.* 12. ubi Per. Colujus alia cogerit, & multa Per.

Faber. *lib. 2. Semestr. cap. 7.* cùm propria manu à quibusdam, qui majorum suorum sepulchra violabant, vindictam sumpsisset, pronuntiasse judicem ait, *More majorum reos tantæ temeritatis jure cæsos videri.* Et Ulpianus *in l. patre furioso ff. de his qui sunt sui*, noster haud dissimiliter, patriam potestatem, quam constat regiis, & decenviralibus legibus institutam, majorum moribus tribuit, sic inquiens: *Nam cùm jus potestatis moribus sit receptum, &c.* ubi Accurs. non omnino ineptè, jure civili, & legibus interpretatur, quamvis cum Eguinarius Baro *in d. l. patre furios.* reprehendat: & Franciscus Connanus *libr. 2. com. cap. 13.* & Jacobus Rævardus *ad ll. 12. cap. 3.* aliter atque aliter Ulpiani verba exponentes, rejiciat.

CAPUT IX.

Cullei supplicium Modestinum mori majorum tribuere. Justinianum id novè à Pompejo institutum testari. Martianum parricidas pœna legis Corneliæ de siccariis puniendos docere. In hac pugna Hotoman. Cujac. Baldinum, Sigonium, Anton. Augustin. Duaren. & alios, nihil, quòd probari possit, dixisse. Quòd nos in difficili hoc articulo existimemus. Multis juribus lux allata. Eum, qui ab aliis inventa restituit, aut reformat, sibi interdum totius rei nomen adsumere.

VErum enim verò hæc quæ de hujus supplicii initiis, & origine, tam latè in præcedenti capite disputavimus, incassum dicta videri poterunt, nisi, duplicem obicem, seù scrupulum removeamus, quo tota hæc res oppidò turbari, & obscurari videtur. Prior est, quòd Martian. J.C. *in l. 1. ff. ad l. Pomp. de parr.* non antiqua aliqua, & incognita lege, non etiam majorum more, ut Modestinus *in d. l. pœna* scribit, sed pœna ea quæ est legis Corneliæ de siccariis, parricidas teneri testatur. Alter verò, quòd Justin. Cæsar *in d. §. alia deinde inst. de pub. jud.* asperrimò huic parricidii crimini, lege Pompeja novam hanc cullei pœnam irrogatam esse, expressis verbis ostendit. Quod si ita est, Modestinum, cæterosque etiam Romanæ historiæ auctores, quorum testimonia laudavimus; peccare necesse est, dum ea multis ante Pompejum annis institutam, & majorum moribus à Romanis observatam esse, fatentur. Propter quas difficultates interpretes variias in hoc articulo sententias comminiscuntur, quæ tamen se invicem perimunt, ut milites illi, quos ajunt, ex Draconis dentibus natos. Et ut varia relinquam Accursii *in d. l. 1. ad l. Pom. & in d. §. alia deinde* & Accursianorum interpretamenta, quæ neque ipsis auctoribus satis probantur: Catelianus Cota, *in memorab. verb. culleo* Frac. Hotom. *ad ll. P. R. c. de l. Pom.* Pardulphus Pratejus. *ibid.* Aimar. Rivarius *de hist. jur. lib. 2. pag. 222.* Tiber. Dec. *lib. 9. crim. cap. 7.* & alii Justiniani verbis allecti, indistinctè hanc cullei pœnam singularique parricidarum supplicium Pompejanæ legi assignant, & tribuunt, quorum judicium invenio, à Paulo quoque Manutio *de ll. Romanis pag. 230.* fuisse receptum. Qui tamen non satis stabili pedamento nituntur, cùm Romanæ historiæ veritas refragetur, quæ multis antè Pompejum annis, hoc supplicium parricidiis irrogatum ostendit. Et præterea Martiani, & Modest. responsa non explicant. Quamobrem Antonius Augustinus *de ll. Rom. c. de l. Pomp.* Hispaniæ nostræ augustissimum jubar, hanc cullei legem à Pompejo Magno latam non fuisse, ingenuè fatetur, fieri tamen potuisse, ut alia lege hæc eadem pœna imposita fuerit. Balduinus autem *d. §. alia deinde, num. 14.* & Duarenus *ad tit. ad l. Pomp. de parr.* quid Cornelia, quid Pompeja rogatio in parricidarum supplicium induxerit, se ignorare testantur, sed ut ut sit, Pompejum totam hanc rem rectiùs tandem composuisse, & certam de parricidii legem tulisse. Jacobus Cujac. *in parat. l. de his qui parent. & novis ad eum tit. recitat. & notis, & in notis ad Paul. libr. 5. titul. 24. & in notis ad dict. §. alia deinde.* in hoc eodem falso subsistens, nihil certius commentus, existimat, Corneliam Syllam aliquam de parricidiis legem rogasse, quæ cùm strictè, ad eas tantùm personas pertineret, quæ propriè parricidii apellatione continentur, postea nova Pompei Magni lege, quam Martianus *in d. l. 1. ad l. Pomp.* commemorat, latiorem interpretationem acceperit. Et tandem Constantinum *in l. unic. C. de his qui parent.* cullei pœnam more majorum, ut ait Modestinus *in d. l. pœn.* institutam, & usu jam abolitam, reduxisse. Carolus Sigonius *lib. 2. de antiquo jur. Rom. cap. 5.* quem Joannes etiam Rosignus *lib. 8. antiquit. Roman. cap. 25.* refert, & sequitur, primùm de his qui parentes occidissent legem, rem latam fuisse opinatur, cùm Lucius Hostius patrem interfecit, aliquanto post Annibalis bellum: quam legem ipse putat fuisse hujusmodi. *Si quis parentem occiderit, aut verberaverit, si damnato obvolvatur ori folliculo lupino, soleæ ligneæ pedibus indicuntur, & in carcerem ducius, ibi sit tantisper, dum putetur culleus, in quem conjectus, & profluentem præcipitetur.* Hinc legem putat L. Cornelium Sullam, constituta publica quæstione repetiisse, & confirmasse, nihil autem addidisse: Pompejum verò posteà, & in personis quibus irrogari deberet, & in supplicio ipso nonnulla mutasse. Sed & sunt qui existimant, cullei quidem supplicium, jam inde à priscis temporibus, sive majorum more, sive lege aliqua, ut nos magis probamus, in parricidas inventum Ita tenent Pet. Ærod. *lib. 8. rerum judic. tit. 6. cap. 9.* Petr. Plaz. *in epit. delict. cap. 22. num. 7.* Joann. Oloto. *in d. §. alia deinde num. 3.* Pompejum autem virgarum sanguinearum verbera, & animalium, quæ simul cum parricida culleo insul jubentur, consortium addidisse, quæ omnia olim incognita fuisse, argumento est, quòd Cicero, Livius, Valerius, Plutar. & alii auctores, licèt longè, latèque de hac pœna tractaverint, nullam eorum mentionem habuerint: à Pompejo autem idcircò credi possunt inventa, ut de parricida non amplius tamquam de homine, sed bruto supplicium sumi videretur, quem ab hominibus ad feras; & eas quidem immundissimas, & impiissimas relegarent. Ob quod pœnæ auctarium, non immeritò Justinianus *in d. §. alia*, totum hujus animadversionis commentum adscribit Pompejo: & antiquum suplicium, ob pattem denno adjectam novum appellat. Verum suos isthæc teneant auctores, ego qui nullius in verba juravi, nec aliorum pedarius esse decrevi, quid in obscuro hoc articulo, aut verum, aut certè vero simillius existimem, proferam nunc doctorum hominum (ut cætera quæ dixerim alia) judicio subjectum, erga quos ea & fui semper, & modò sum observantia, ut vel spongiam illis illerè tradam, quæ, vel una litura, quæ minùs aptè dicta censuerint, non emendare tantùm, sed & delere facile possint. Arbitror igitur L. Cornel. Sullam, anno ab urbe condita 688. legem tulisse, quæ simul cum cæteris sicariis, particulari quodam capite, in parricidii reos, statuebat, ut & Pomponius *in l. 2. §. deindè Cornel. de origine jur.* juris historiam tractans, videtur ostendere, & ex Imperatoria quadam Sanctione *L. fin. ad l. Cornel. de fals. in C. Theod.* haud obscurè colligitur, ac proinde cullei pœnam, more majorum parricidis imponi solitam, paulatim in usu esse desiisse, quo usque Pompejus Magnus, qui post Sullam floruit anno V. C. ut Rosinus *ubi supr.* tradit 698. peculiarem aliam de parricidiis legem rogavit, qua & totam hanc rem luculentius composuit, & forsitan, ut Hotomanus *ubi supr.* advertit, ut certus deniceps hujus criminis quæsitor esset, instituit: sanciens, ut parentum occisores, more majorum speciali cullei pœna punirentur. Fratrum verò, sororum, à latere cognatorum, vel affinium, pœna legis Corneliæ de sicariis. Quod satis Modestinus *in d. l. pœna versic. qui alias. Just. in d. §. alias deinde in fin.* & Justinianus ostendunt, & mihi Martiani responso non remorante, facile persuadeo. Nam quod ille *in l. 1. ff. ad l. Pompej.* ait lege Pompeja caveri, ut qui generaliter, patrem, mattrem, avum, aviam, & cæteras consanguinitate junctas personas occiderint, ea pœna teneantur, quæ est legis Cornelia de siccariis, ad primum planè legis Pompejæ caput, ut satis ex Venulejo *in l. hoc accusare 12. §. item nec lex ff. de accusation.* colligitur, spectat, & pertinet, quo (ut in legibus tralatitium est *l. 1. ad l. Falcidiam.* Bernard. Waith. *2. miscel. c. 16.* Alc. *5. paterg. cap. 23.* antiquior dumtaxat lex Cornelia referebatur, retractabaturque: non tamen ita accipiendum est, ut non alio ejusdem legis capite, gravior pœna parricidio, quàm ordinariæ cædi statuta fuerit. Si enim nihil aliud Pompejus statuisset, quàm ut parricida lege de siccariis teneretur, quis rogo non inemptam illius curam, & sanctionem censeret? cùm nulla planè posset dubitandi ratio assignari, ob quam, cùm is, qui extraneum, & nulla sibi necessitudine junctum hominem occidisset, Cornelianæ legis supplicio subderetur: is qui parentibus, fratribus, aut similibus personis mortem inferret, ab eo esset immunis. Accidit igitur hic, quod de lege Licinia scribens tradit Macrobius lib. 3. cap. 17. *In ea ferenda, quæsitam esse legis auctoritatem, excolescente metu legis antiquioris: ita ut de ipsis XII. tabul. factum sit: Quarum ubi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ aliis legibus cavebantur, in alia latorum nomina transierunt.* Neque quòd juxta hanc interpretationem, nimis generalia Martiani verba restringimus, quispiam causetur. Nam neque novum, aut insolens est, unam legem per aliam exponere, & latè loquentem, certo aliquo modo restringere. Neque in ea, de qua agimus, materia, exemplo deficimur. Sic etenim Paulus *lib. 5. sentent. tit. 24. Lege Pompeja* (inquit) *de parricidiis tenetur, qui patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patronum, patronam occiderit. Hi & si anteà intuti culleo in mare præcipitabantur, hodie tamen vivi exuruntur, vel ad bestias dantur.* Quibus in verbis, valdè generaliter Paulus, cullei pœnam, ad eos omnes, quorum mentionem fecerat, retulit, quæ tamen, ut ex Modestino, & Justiniano resolvimus, non aliis, quàm parentum occisoribus, irrogabatur. Pompejus igitur legem Corneliam ad propinquorum interfectores sub certa aliqua forma reduxit: cullei verò pœnam, in eos qui parentes necavissent, renovavit, quòd & Didacus Covarrub. *in Clem. si furiosus in initio 2. part. numer. 12. in fine*, in Valentinus Forsterus *lib. 1. hist. jur. civil. pag. 81.* post Accursium & Bartolum *in d. l. 1. ad l. Pompej. de parric.* sensisse quoque videntur.

Et Justinianus dum novam hanc cullei pœnam appellat, & Pompeja lege inductam fuisse significat, vel pro suo more facit, solet enim pœnas suo tempore usitatas, legibus ipsis, ex quibus crimen descendit, adscribere: ut legi Juliæ de adulteriis penam capitis, cum tamen ejus legis pœna fuerit relegatio, ut rectè Cujac. *libr. 5. sentent. Paul. titul. 23. in principio* advertit, & Tiraquel. *in l. connub. num. 6.* post alios quos retulit, adnotavit; vel ut melius cum eo agamus, novam hanc pœnam, non quasi à Pompejo recens inventam sed quasi extraordinariam, insuitatam, & ut Constantinus *in l. unic. Cod. de his qui parent.* aut non solemnem, vocavit (Quod Cujacius etiam tentavit *in parat. C. de his qui parent.*) ait, quod meæ sententiæ consectarium est, Pompejo cullei supplicium tanquàm ab eo inventum assignat, quòd illud lege Cornelia sopitum, iterum suscitaverit, & in forum reduxerit, personasque, & causas, in quibus irrogandum esset, præfinierit.

Nam, ut idem Justinianus *in l. 1. C. de veter. jur. enuc.* prædixit, *omnia nostra meritò facimus, quibus nostram auctoritatem impertimur, & qui laudabiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus invenit.* Neque rarò accidit, ut qui aliorum inventa, vel in publicum

edunt,

edunt, vel exactiùs disponunt, totius sibi facti nomen, gloriam & honorem usurpent, sic enim, ut Pomponius *in l. 2. in princ, & in §. deinde ex his de orig. jur.* scribit, Papirianum & Flavianum jus civile dictum fuit, quod Sextus Papirius, & Gneus Flavius ediderunt, non quia ipsi de suo ibi quicquam adjecerint, sed quòd leges sine ordine latas, in unum redegerint. Sic etiam, ut eleganter ait Cassiodorus *lib. 6. variarum infor. præfect. annonæ. Ceres frumenta dicitur invenisse, Pan autem primus conspersas fruges coxisse, perhibetur. Unde & nomina ejus panis est appellatus. Ita & illa prædicata est quæ reperiit, & iste laudatus est, qui decenter edenda humanis usibus applicavit.*

Verùm hoc parricidarum supplicium etiam post Pompejani legem iterum in usu esse desiisse, Paul. *d. lib. 5. sentent. tit. 24.* nos admonet, tradens suo tempore, jam non ut anteà parricidas culleo insui, & in mare præcipitari, sed ad bestias dari, vel vivos exuri, quo ex fonte manavit, ut Constantinus Imperator *in d. l. unic.* nova constitutione promulgata, rursus eandem pœnam reduxerit, quam ad parentes etiam, qui liberos occidissent, quin & ad alias (ut multi putant) personas extendit, de quo tamen nos latiorem, Deo duce, disputationem inferiùs inibimus.

CAPUT X.

De pœna à Romanis in parricidas constituta peculiaris tractatio suscipitur. Parricidam ex Modestini sententia ante omnia virgis cædendum. Hoc ex Romanorum more factum videri apud quos ultimum supplicium semper verbera præcedebant. Portia, & Sempronia leges verbera à Civium tergo removerunt. Cur hæc parricidis non profuerint. Quid sit more majorum supplicium sumeret. In instrumentis verberandi magnum fuisse Romanis discrimen. Virgis cives, flagris servos, vitæ milites cæsos.

AGe verò, & cùm de pœnæ temporibus, variisque murationibus tractaverimus, ex ordine, ipsius supplicii partes, indagatione diligenti, pandere conemur, & in lucem proferre. Ergo parricida ante omnia sanguineis virgis cædi jubetur; quòd licèt auctores, qui de hac re agunt, silentio involverint: & Constantin. *d. l. unic.* & Justinian. *d. §. aliæ deinde,* (licèt verbose hujus pœnæ formam explicent) prætermiserint: Modestinus tamen exprimit satis, & simul majorum more institutum his verbis ostendit: *Pœna parricidii more majorum hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus culleo insuatur, &c.* Et Alphonsus noster *in l. 12. tit. 8. p. 7.* in Regio septempartito jure à Modestino mutuatus, ita scriptum reliquit: *Mandaron los Emperadores é los sabios antiguos que este á tal que fizo esta enemiga* (Parricida nempè) *que sea azotado publicamente ante todos, é de si que lo metan en un saco de cuero, &c.* Et sanè quamvis Francisc. Hotoman. *de legib. c. de l. Pomp. de parric.* quicquid à Modestino præter culleum, in hujus supplicii impositione mori majorum tribuitur à Triboniano sui temporis contemplatione habita; (prout alia pluta Triboniani frequens hic mos qui passim notatur ab Ant. Fabr. *in suis conject. lib.* Ant. Cont. 1. *success. c.* 13. Corras. 5. *mis. c.* 17. Rævard. 2. *var. c.* 10. & 3. *c.* 15.) ex novis legibus additum putet: Ego jam tum Modestini tempore in usu fuisse ea omnia, & hanc præsertim, de qua nunc loquimur, verberationem, magis opinor. Frequentissima quippè erat Romanorum consuetudo, ut flagellatio solemnis ultimi supplicii antecessor esset, & rarò quis nisi verberatus, crucem, suspendium, securim, aut aliud mortis genus patererur. Inde Livius *lib.* 1. legem horrendi carminis dicit, qua cavebatur, *ut perduellionis damnatus, intra, aut extra pomœrium verberaretur, & infelici arbore posteà suspenderetur.* Et Judæi apud Joseph. *lib. 5. excid. c. 32. Flagellati. & præcruciati ante mortem omne genus verberibus,* crucifixi dicuntur. Et Polyb. *lib.* 1. ubi de militibus, qui Rhegium injusto bello occupaverant, & victi deinde Romam puniendi transmissi fuerant, loquitur: *Omnibus* (inquit) *in medio foro verberatis, ex Romanorum more, cervices præcisæ sunt;* quam eandem historiam recensens Valer. *lib. 2. c. 2.* addit: *Senatum quò minore cum invidia id perageretur, quinquagenos per singulos dies virgis cæsos securi percuti jussisse.* Sed & Sueton. tum *in Claud. c.* 34. tùm verò præcipuè in Nerone *c.* 40. expressiùs eundem morem ostendit, sic inquiens: *Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque se hostem à Senatu judicatum, & quæri ut puniatur more majorum; interrogavitque quale esset id genus pœnæ: Et cùm comperisset, nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi; conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit, &c.* Conducunt etiam in eandem rem, diserta alia, & perspicua bonorum auctorum testimonia, quæ Justus Lips. *lib. 2. de cruce c. 2.* & Pet. Fab. *lib. 2. Semestr. c. 7. in princ. & c. 6. paulò post princ.* viri ingenii, & omnigenæ eruditionis ergo ab omnibus suspiciendi, affatim congesserunt. Qui ambo ex hoc more Jesum Christum Dominum, ac servatorem nostrum à Pilato, antequàm Judæis ad crucem concederetur, flagellis atrocioribus cæsum, doctè ut solent cætera notaverunt. Enimverò & si sempronia, & Portia legibus, Romanorum civium tergo consultum fuerit, cautúmque ne quis magistratus de capite civis injussu populi judicaret, eúmve virgis cædere, sed damnato exilium permitteret, ut docet Cicer. *in orat. pro Rabir. perduel. reo* illudens & cavillans in Labienum. *Portia lex* (inquiens) *virgas ab omnium civium corpore amovit, hic misericors flagella retulit. Portia lex libertatem civium lictori eripuit, Labienus homo popularis carnifici tradidit.* Et alibi Verrem accusans: *O nomen dulce libertatis! ô jus eximium nostræ civitatis! ô lex Portia, le-*

gésque Sempronia! ô graviter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia potestas! huccine tandem omnia recidérunt? Et ultra Cicer. Salust. Plutarch. & alii, quos Ant. Aug. *c. de l. Porcia*, Hotomannus *eod. c. & c. d. l. Sempronia*: Paul. Manutius *pag.* 142. & 116. Joann. Rosinus *lib.* 8. *antiquit. c.* 2. Cœlius Rhodiginus *lib.* 10. *lect. antiq. cap.* 5. Zanchus *ad Sall. pag.* 142. Romanarum legum scriptores retulere. Adhuc tamen parricidæ propter sceleris atrocitatem, earum legum jure & honore caruerunt, & ab eis tantum crimen exceptum videbatur, nimirum quia jura civis ei reservari minimè debuerunt, qui ipse naturalia omnia, atque civilia jura, tam fœdo crimine violasset, ut non malè Hotomannus *d. c. de l. Sempron. de jure civitatis*, animadvertit. Quò respexisse credendus est Tullius dum in oratione pro Roscio, verus in parricidio supplicium commemorat, necnon Modestinus *in d. l. penult.* dum illud more majorum imponi fatetur: Nec enim significat (ut jam alio in loco explicavi *suprà c.* 8.) pœnam hanc moribus non legibus institutam; sed puniri ex lege Pompeja parricida, de cisque supplicium sumi, sicut majorum tempore fieri solebat, id est ante jus novum Portia lege constitutum, quæ damnatis non animam eripi, non virgas inferri, sed exilium permitti jusserat, eorúmque corpora potestati carnificis exemerat.

Ita enim S. C. quo socios Lucii Catilinæ apud Salustium more majorum puniendos, sancitum est, hanc significationem habere doctissimus vir, & aliis æquandus pluribus unus Alciatus *lib. 4. parerg. cap.* 21. adnotavit; & juxta eandem sententiam Cornelius Tacitus *lib. 14. Annal.* novis legibus, majorum mores opponit. *Censuit* (inquit) *Marullius Consul designatus reum more majorum necandum: contra Thrasea disseruit, carnificem, & laqueum pridem abolita, & esse pœnas legibus constitutas, quibus sine judicum sævitia, & ipsorum infamia supplicia decernerent, quin in insulam publicanis bonis iret, &c.*

Quibus locis alia non minùs expressa adjicit Petrus Faber *dict. lib. 2. Semest. cap.* 7. cujus scrinia variarum retum cognitione referta supellare, necessarium non arbitror. Nec enim ex illis sum, qui ut Plautina illa mulier in Trucul. alienos fœtus, alienámque eunt prolem suppositum sibi. *Est enim benignum*, ut Plin. ait, *in præm. natur. hist. & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: obnoxii verò animi, & infelicis ingenii, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere.* Illud super pondium fuerit, parricidam virgis quidem afficiendum esse non, flagris, aut loris: nam hæc apud Romanos inhonestiora erant, & rarò nisi in servos usurpabantur. Sic apud Terent. *in Adel.* Sanio sibi intentata lora exclamat, & indignatur. *Ad necem operiere loris.* San. *loris liber?* Et ab hac nota servilem Menæ conditionem Horat. *epod. od.* 4. opprobrat:

Sectur flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium.

Quem locum latissimè Petrus Faber *lib. 2. cap. 6.* videndus etiam *lib. 1. cap.* 17. exponit, & Just. Lips. *lib. 2. de cruce c. 3.* in eandem rem simul cum aliis adducit, & Hor. 2. epist. 2. Idem alio loco non minùs eleganter ostendit, sic inquiens:

In tenuis latuit meta pendentis habenæ.

Eóque (ut præteream alia quæ Cæl. Rhodig. *lib.* 10. *lect. ant. cap.* 5. & Barnab. Brisson, *verb. habena*, latè notarunt) respicit Calistr. l. C. *in leg. veluti* 7. *ff. de pœn.* qui flagellorum castigationem graviorem pœnam, quàm fustium admonitionem inssinuat. Et Macer *in l. in servorum* 10. *ff. de pœn. facit l. in metallum* 12. *de jure fisc.* ubi latissimè Cujac. dum scribit: *Ex quibus cautis liber fustibus cæditur, ex eisdem servum flagelis cæsi.* Etenim in instrumenti genere quo quis vapularet, non parum discriminis constituebant Romani, & quædam verbera servorum propria, libertorum quædam, quæ ab ingenuis aliena reputabantur. Unde & Imperatores rescripserunt, *in l. consensu* 8. *Cod. de repud.* mulierem habere justas divortii causas: *Si se verberibus, quæ ingenuo aliena sunt, afficientem maritum probaverit*: Et Plin. *de nat. hist. lib. 14. cap. 1.* de vite loquens: *Vitis ipsa* (ait) *& in delictis etiam pœnam honorat.* Erat quippè fustigario, quæ vite fiebat militum propria, nec omnium quidem, set eorum olim tantùm, qui cives Romani essent. Alii namque scelera sua flagellis, & virgis luebant, quousque Livius Drusus, & Cajus Gracchus Tribuni plebis, ne liceret quemquam Latini nominis virgis afficere, sed viribus plebiscito sanxere, in hac re Latinos populos Romanis coæquantes, ut refert Plutarch. *in Gracchis*, & Petr. Crinit. *de honest. discip. lib. 22. c. 2.* Alex. *genial. 4. c. 10. in fin.* Hotom. *in inâice leg. Rom. c. de l. Livia de sotiis*, & alii notarunt. Ex quo ritu, vitem Centurionum, aliorúmque militiæ Ducum, & Principum fuisse, optimè P. Pithæus *advers. lib. 1. c. 15.* & Just. Lips. *lib. 5. de milit. Rom. dial. 18.* advertunt. Indéque lucem accipit Tacit. *lib. 1. annal.* qui *Centurio* (inquit) *Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedò alteram, indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram, & alteram poscebat.* Atque etiam Macer. l. C. *in l. milit. agrum* 13. *ff. de re milit.* qui de delictis militum agens, *Ium* (ait) *qui Centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notaverunt: si vitem tenuit militiam mutat; si ex industria fregit, vel manum Centurioni intuli, capite punitur.* Sed & ungulæ etiam erant, & scorpiones, & alia flagrorum genera de quibus plenè Jacob. Durant. *lib. 1. var. c. 15.* scripsit.

CA-

edunt, vel exactiùs disponunt, totius sibi facti nomen, gloriam & honorem usurpent, sic enim, ut Pomponius *in l. 2. in princ, & in §. deinde ex his de orig. jur.* scribit, Papirianum & Flavianum jus civile dictum fuit, quod Sextus Papirius, & Gneus Flavius ediderunt, non quia ipsi de suo ibi quicquam adjecerint, sed quòd leges sine ordine latas, in unum redegerint. Sic etiam, ut eleganter ait Cassiodorus *lib. 6. variarum infor. præfect. annonæ. Ceres frumenta dicitur invenisse, Pan autem primus conspersas fruges coxisse, perhibetur. Unde & nomina ejus panis est appellatus. Ita & illa prædicata est quæ reperiit, & iste laudatus est, qui decenter edenda humanis usibus applicavit.*

Verùm hoc parricidarum supplicium etiam post Pompejani legem iterum in usu esse desiisse, Paul. *d. lib. 5. sentent. tit. 24.* nos admonet, tradens suo tempore, jam non ut anteà parricidas culleo insui, & in mare præcipitari, sed ad bestias dari, vel vivos exuri, quo ex fonte manavit, ut Constantinus Imperator *in d. l. unic.* nova constitutione promulgata, rursus eandem pœnam reduxerit, quam ad parentes etiam, qui liberos occidissent, quin & ad alias (ut multi putant) personas extendit, de quo tamen nos latiorem, Deo duce, disputationem inferiùs inibimus.

CAPUT X.

De pœna à Romanis in parricidas constituta peculiaris tractatio suscipitur. Parricidam ex Modestini sententia ante omnia virgis cædendum. Hoc ex Romanorum more factum videri apud quos ultimum supplicium semper verbera præcedebant. Portia, & Sempronia leges verbera à Civium tergo removerunt. Cur hæc parricidis non profuerint. Quid sit more majorum supplicium sumeret. In instrumentis verberandi magnum fuisse Romanis discrimen. Virgis cives, flagris servos, vitæ milites cæsos.

AGe verò, & cùm de pœnæ temporibus, variisque murationibus tractaverimus, ex ordine, ipsius supplicii partes, indagatione diligenti, pandere conemur, & in lucem proferre. Ergo parricida ante omnia sanguineis virgis cædi jubetur; quòd licèt auctores, qui de hac re agunt, silentio involverint: & Constantin. *d. l. unic.* & Justinian. *d. §. aliæ deinde,* (licèt verbose hujus pœnæ formam explicent) prætermiserint: Modestinus tamen exprimit satis, & simul majorum more institutum his verbis ostendit: *Pœna parricidii more majorum hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus culleo insuatur, &c.* Et Alphonsus noster *in l. 12. tit. 8. p. 7.* in Regio septempartito jure à Modestino mutuatus, ita scriptum reliquit: *Mandaron los Emperadores é los sabios antiguos que este á tal que fizo esta enemiga* (Parricida nempè) *que sea azotado publicamente ante todos, é de si que lo metan en un saco de cuero, &c.* Et sanè quamvis Francisc. Hotoman. *de legib. c. de l. Pomp. de parric.* quicquid à Modestino præter culleum, in hujus supplicii impositione mori majorum tribuitur à Triboniano sui temporis contemplatione habita; (prout alia pluta Triboniani frequens hic mos qui passim notatur ab Ant. Fabr. *in suis conject. lib.* Ant. Cont. 1. *success. c.* 13. Corras. 5. *mis. c.* 17. Rævard. 2. *var. c.* 10. & 3. *c.* 15.) ex novis legibus additum putet: Ego jam tum Modestini tempore in usu fuisse ea omnia, & hanc præsertim, de qua nunc loquimur, verberationem, magis opinor. Frequentissima quippè erat Romanorum consuetudo, ut flagellatio solemnis ultimi supplicii antecessor esset, & rarò quis nisi verberatus, crucem, suspendium, securim, aut aliud mortis genus patererur. Inde Livius *lib.* 1. legem horrendi carminis dicit, qua cavebatur, *ut perduellionis damnatus, intra, aut extra pomœrium verberaretur, & infelici arbore posteà suspenderetur.* Et Judæi apud Joseph. *lib. 5. excid. c. 32. Flagellati. & præcruciati ante mortem omne genus verberibus,* crucifixi dicuntur. Et Polyb. *lib.* 1. ubi de militibus, qui Rhegium injusto bello occupaverant, & victi deinde Romam puniendi transmissi fuerant, loquitur: *Omnibus* (inquit) *in medio foro verberatis, ex Romanorum more, cervices præcisæ sunt;* quam eandem historiam recensens Valer. *lib. 2. c. 2.* addit: *Senatum quò minore cum invidia id perageretur, quinquagenos per singulos dies virgis cæsos securi percuti jussisse.* Sed & Sueton. tum *in Claud. c.* 34. tùm verò præcipuè in Nerone *c.* 40. expressiùs eundem morem ostendit, sic inquiens: *Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque se hostem à Senatu judicatum, & quæri ut puniatur more majorum; interrogavitque quale esset id genus pœnæ: Et cùm comperisset, nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi; conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit, &c.* Conducunt etiam in eandem rem, diserta alia, & perspicua bonorum auctorum testimonia, quæ Justus Lips. *lib. 2. de cruce c. 2.* & Pet. Fab. *lib. 2. Semestr. c. 7. in princ. & c. 6. paulò post princ.* viri ingenii, & omnigenæ eruditionis ergo ab omnibus suspiciendi, affatim congesserunt. Qui ambo ex hoc more Jesum Christum Dominum, ac servatorem nostrum à Pilato, antequàm Judæis ad crucem concederetur, flagellis atrocioribus cæsum, doctè ut solent cætera notaverunt. Enimverò & si sempronia, & Portia legibus, Romanorum civium tergo consultum fuerit, cautúmque ne quis magistratus de capite civis injussu populi judicaret, eúmve virgis cædere, sed damnato exilium permitteret, ut docet Cicer. *in orat. pro Rabir. perduel. reo* illudens & cavillans in Labienum. *Portia lex* (inquiens) *virgas ab omnium civium corpore amovit, hic misericors flagella retulit. Portia lex libertatem civium lictori eripuit, Labienus homo popularis carnifici tradidit.* Et alibi Verrem accusans: *O nomen dulce libertatis! ô jus eximium nostræ civitatis! ô lex Portia, le-*

gésque Sempronia! ô graviter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia potestas! huccine tandem omnia recidérunt? Et ultra Cicer. Salust. Plutarch. & alii, quos Ant. Aug. *c. de l. Porcia*, Hotomannus *eod. c. & c. d. l. Sempronia*: Paul. Manutius *pag.* 142. & 116. Joann. Rosinus *lib.* 8. *antiquit. c.* 2. Cœlius Rhodiginus *lib.* 10. *lect. antiq. cap.* 5. Zanchus *ad Sall. pag.* 142. Romanarum legum scriptores retulere. Adhuc tamen parricidæ propter sceleris atrocitatem, earum legum jure & honore caruerunt, & ab eis tantum crimen exceptum videbatur, nimirum quia jura civis ei reservari minimè debuerunt, qui ipse naturalia omnia, atque civilia jura, tam fœdo crimine violasset, ut non malè Hotomannus *d. c. de l. Sempron. de jure civitatis*, animadvertit. Quò respexisse credendus est Tullius dum in oratione pro Roscio, verus in parricidio supplicium commemorat, necnon Modestinus *in d. l. penult.* dum illud more majorum imponi fatetur: Nec enim significat (ut jam alio in loco explicavi *suprà c.* 8.) pœnam hanc moribus non legibus institutam; sed puniri ex lege Pompeja parricida, de cisque supplicium sumi, sicut majorum tempore fieri solebat, id est ante jus novum Portia lege constitutum, quæ damnatis non animam eripi, non virgas inferri, sed exilium permitti jusserat, eorúmque corpora potestati carnificis exemerat.

Ita enim S. C. quo socios Lucii Catilinæ apud Salustium more majorum puniendos, sancitum est, hanc significationem habere doctissimus vir, & aliis æquandus pluribus unus Alciatus *lib. 4. parerg. cap.* 21. adnotavit; & juxta eandem sententiam Cornelius Tacitus *lib. 14. Annal.* novis legibus, majorum mores opponit. *Censuit* (inquit) *Marullius Consul designatus reum more majorum necandum: contra Thrasea disseruit, carnificem, & laqueum pridem abolita, & esse pœnas legibus constitutas, quibus sine judicum sævitia, & ipsorum infamia supplicia decernerent, quin in insulam publicanis bonis iret, &c.*

Quibus locis alia non minùs expressa adjicit Petrus Faber *dict. lib. 2. Semest. cap.* 7. cujus scrinia variarum retum cognitione referta supellare, necessarium non arbitror. Nec enim ex illis sum, qui ut Plautina illa mulier in Trucul. alienos fœtus, alienámque eunt prolem suppositum sibi. *Est enim benignum*, ut Plin. ait, *in præm. natur. hist. & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: obnoxii verò animi, & infelicis ingenii, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere.* Illud super pondium fuerit, parricidam virgis quidem afficiendum esse non, flagris, aut loris: nam hæc apud Romanos inhonestiora erant, & rarò nisi in servos usurpabantur. Sic apud Terent. *in Adel.* Sanio sibi intentata lora exclamat, & indignatur. *Ad necem operiere loris.* San. *loris liber?* Et ab hac nota servilem Menæ conditionem Horat. *epod. od.* 4. opprobrat:

Sectur flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium.

Quem locum latissimè Petrus Faber *lib. 2. cap. 6.* videndus etiam *lib. 1. cap.* 17. exponit, & Just. Lips. *lib. 2. de cruce c. 3.* in eandem rem simul cum aliis adducit, & Hor. 2. epist. 2. Idem alio loco non minùs eleganter ostendit, sic inquiens:

In tenuis latuit meta pendentis habenæ.

Eóque (ut præteream alia quæ Cæl. Rhodig. *lib.* 10. *lect. ant. cap.* 5. & Barnab. Brisson, *verb. habena*, latè notarunt) respicit Calistr. l. C. *in leg. veluti* 7. *ff. de pœn.* qui flagellorum castigationem graviorem pœnam, quàm fustium admonitionem inssinuat. Et Macer *in l. in servorum* 10. *ff. de pœn. facit l. in metallum* 12. *de jure fisc.* ubi latissimè Cujac. dum scribit: *Ex quibus cautis liber fustibus cæditur, ex eisdem servum flagelis cæsi.* Etenim in instrumenti genere quo quis vapularet, non parum discriminis constituebant Romani, & quædam verbera servorum propria, libertorum quædam, quæ ab ingenuis aliena reputabantur. Unde & Imperatores rescripserunt, *in l. consensu* 8. *Cod. de repud.* mulierem habere justas divortii causas: *Si se verberibus, quæ ingenuo aliena sunt, afficientem maritum probaverit*: Et Plin. *de nat. hist. lib. 14. cap. 1.* de vite loquens: *Vitis ipsa* (ait) *& in delictis etiam pœnam honorat.* Erat quippè fustigario, quæ vite fiebat militum propria, nec omnium quidem, set eorum olim tantùm, qui cives Romani essent. Alii namque scelera sua flagellis, & virgis luebant, quousque Livius Drusus, & Cajus Gracchus Tribuni plebis, ne liceret quemquam Latini nominis virgis afficere, sed viribus plebiscito sanxere, in hac re Latinos populos Romanis coæquantes, ut refert Plutarch. *in Gracchis*, & Petr. Crinit. *de honest. discip. lib. 22. c. 2.* Alex. *genial. 4. c. 10. in fin.* Hotom. *in inâice leg. Rom. c. de l. Livia de sotiis*, & alii notarunt. Ex quo ritu, vitem Centurionum, aliorúmque militiæ Ducum, & Principum fuisse, optimè P. Pithæus *advers. lib. 1. c. 15.* & Just. Lips. *lib. 5. de milit. Rom. dial. 18.* advertunt. Indéque lucem accipit Tacit. *lib. 1. annal.* qui *Centurio* (inquit) *Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedò alteram, indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram, & alteram poscebat.* Atque etiam Macer. l. C. *in l. milit. agrum* 13. *ff. de re milit.* qui de delictis militum agens, *Ium* (ait) *qui Centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notaverunt: si vitem tenuit militiam mutat; si ex industria fregit, vel manum Centurioni intuli, capite punitur.* Sed & ungulæ etiam erant, & scorpiones, & alia flagrorum genera de quibus plenè Jacob. Durant. *lib. 1. var. c. 15.* scripsit.

CA-

CAPUT XI.

Sanguineis virgis parricidam verberandum Modestinum scribere. Has Accurs. & alios, quòd sanguinem elicerent, sic dictas putare. Flagellum, in quo dolor inest apud Ulpianum quid. Ejus loci emendatio post Budæum, & alios latè probata. Dolon quid. Corrasii, Mantuæ, & aliorum, qui apud Modestinum Sagminеis *reponunt, emendatio rejecta. Item & Rusardi qui* Saligineis. *Sagmen quid. & sagminum usus apud Romanos. Asserta vulgaris Modestini lectio. Sanguineæ virgæ quæ. & unde sic dictæ. Arbores infelices quæ. Lictorum fasces an ex istis virgis sanguineis.*

VIrgis itaque ex more parricida ante quam culleo insuatur, affici debet, quas & sanguineas fuisse ex Modestino retulimus. Sed multi, quibus istarum virgarum appellatio, non magis notata fui, quàm Achilis nomen inter virgines, verba hæc variis interpretationibus, & emendationibus obscurantes, mihi hac etiam in re subsistendi, & verum Modestini sensum, eorum deliriis explosis, aperiendi, necessitatem injiciunt.

Et ut ab Accursii *in dict. l. pœna ad l. Pomp.* expositione initium dicendi faciam, is, quem reliqui antiquiores magis communiter probant, virgas istas ideò sanguineas appellari existimat, quòd sanguinem à flagellati corpore elicerent. In cujus sententiæ confirmationem Marcus Mantua *in Enchirid. rerum singul. lib. 6. cap.* 101. similes alias loquendi formas adducit; mortem nempe pallidam, & infelicem invidiam dici, quòd illa homines pallidos reddit, ista infelices, & miserabile remedium cessionis bonorum, *l. fin. Cod. qui bonis ced. post.* quia miserum facit cedentem. Neque deest ejusdem Acursii exemplum, quo magis aptè superior explicatio corroboretur. Is enim Alfeni verba, *in l. si ex plagis* 52. §. 1. *ad l. Aquil.* quibus Tabernarius quidam à prætereunte flagello, in quo dolor inerat, verberatus proponitur, pari interpretatione donavit, & in flagello ideò inesse dolorem dici, quod aliis dolorem inferret, sibi persuasit.

Sed ego, ut in Poëtarum, & Rhetoricum horridis similes loquendi flores admitterem, in nostrorum Jurisconsultorum libris id nulla quidem ratione recipere possum; cùm Jurisconsulti non per metaphoras, nec circuitu longo, sed mundè admodùm, & circumcisè loquantur. Nec Alfeni locus Accursiana indiget expositione, cùm jam post Budæum *in notis prior. ad Pandectas, ibidem*, & Alexandrum ab Alex. *lib. 4. genial. cap.* 15. neminem lateat, apud Alfenum *dolon* esse non *dolor* legendum. Dolonem autem lignum vel fustem signare, intra cujus virgam acuta cuspide pugio lateret, à fallendo Græcè sic dictum, quòd decipiat ferro: cum speciem ligni præferat, & haud secus quàm gladius vulnera ingerat, ut Varro. *de ling Lat.* testimonio probatur; & rectè Servius advertit in illud Poëtæ *Æneid.* ubi Servius.

Tela manu, sævosque gerunt in bella dolones.

Quare Ludovicus Rusardus *d. l. pœna in notis*, in Modestini responso, *non sanguineis virgis, sed saligneis*, legendum contendit, de quibus apud Ulpianum *in l. 3. ff. arborum furt. cæs.* est mentio, dum ait: *Sed si quis saligineas virgas instituendi salicti causa deficerit, &c.* quæque maximè huic supplicio convenire videntur, cùm parricida in mare, vel fluvium, in cujus ripis saligineæ virgæ frequenter reperiuntur, projiciendus sit. Joannes verò Corrasius *lib. miscel. cap. 5. Sagmineis* reponit à sagmine herba, quàm alio nomine verbenam dicimus, sine semine ubique crescente. Quam eandem lectionem etiam Marcus Mantua *lib. 5. Enchirid. cap.* 101. magis admittit, & in probatis Codicibus ita factam restitutionem inveniri testatur. Qui tamen ampliandi mihi videntur, sicut & alii omnes, qui ubi verba Jurisconsultorum non capiunt, statim immutandum curant. Neque temerè à vulgata, & Pandectarum Florentinorum auctoritate fulcita lectione recedendum existimo. Nam Rusardi conjectura, se ipsam facile prodit, Corrasii verò inde convincitur, quod atrocitas criminis tanta, tantùmque scelus, herba vapulare non debet. Et præterea, quia ut rectè Adrianus Turnebus *lib. 8. adversar. cap.* 23. & Hieron. Magius *lib. 4. mis. cap.* 8. vir usque ad miraculum doctus considerat, numquam commisissent Romani, ut herbam sacram impio parricidarum corpore contaminarent, idque nefas non levi piaculo luendum censuissent. Erant enim verbenæ herbæ puræ, inde sagmina si Festo *lib. 16. in sagmina*, credimus dictæ, *quia ex loco sancto arcebantur à Consule, prætore ve, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumque indicendum.* Id quod elegantèr Tit. Liv. *lib.* 1. ostendit, & ex eo multi etiam auctores, Alex. 5. *gen. cap.* 3. *in fin.* Rævar. *lib. 4. var. c.* 1. Pet. Crinit. *de honest. discip. lib. 7. cap.* 3. Ferdin. Mendoza *lib.* 1. *disp. de pacti. cap.* 7. *num. 9. & lib.* 2. *cap. 9. num.* 10. latè notarunt. Quamvis Martianus I. C. *in l. sanctum* 8. *de rer. divis.* non sagmina à sancto, sed potiùs *sanctum à sagminibus dictum scribat*, indèque legatos P. R. qui has herbas ferre solebant sanctos, & inviolabiles esse. Unde quæ tanta religione colebantur sagmina, in tam impium facinus convenire non poterant. Nisi fortè quis probet, sagmina (ut Plinius *lib.* 22. *cap.* 2. ait) in remediis publicis fuisse, atque adeò parricidarum supplicio justè adhiberi, in quo sumendo, totius civitatis salus, & expiatio quodammodo consistere videretur, quam, ut de Malleolo scribit Orosius *lib. 5. cap. 16.* tanti maleficii reus, subito mœrore, infuscare censetur.

Verùm cùm consensus librorum omnium non

non sit respuendus, *virgis sanguineis* scribentium, probanda est haud dubiè altera Accursii *in d. l. pœna.* interpretatio, qui sanguineas virgas à ligno, vel frutice ex quo nascuntur, appellatas existimat: Quod licèt ipse divinando tradiderit, verissimum tamen est, & Turnebi, Duareni, Cujacii, Forcatuli, Covarrubiæ, Balduini, Wesembecii, & aliorum præstantissimorum virorum approbatione receptum. Turneb. *suprà* Duar. *tt. ad l. Pompejam de par.* Cujac. *in parat. & recitat. ad tit. C. de lib qui parent.* Forcat. *dialog.* 34. Covarr. *in dict. Clem. in initio 2. p. num.* 12. Balduin. *d. §. alia deinde, Wesemb. ibidem, & in paratit. de parric.* Harum nàmque virgarum, multiplex est in bonis auctoribus mentio, & sanguineæ appellabantur, sive quòd sanguineo colore nascerentur, sive quod, ut Turnebus opinatur, ad horrorem cruentari solerent. De quibus sic scribit Plinius, *lib.* 16. *cap.* 32. *Siquidem & genistæ, & populi, & ulmi, & sanguineæ fructices.* Et alibi, *lib. 24. cap.* 10. *Nec virga sanguineæ felicior habetur. Cortex ejus interior cicatrices, quæ præsanavêre, aperit.* Et rursùs, *lib. 19. cap.* 10. *Sunt qui sanguineis virgis tangant ea, quæ nolunt his obnoxia esse.* Et plane non absque mysterio, sanguineis istis virgis parricidas verberari Cujac. *in parat. C. de his qui parent.* notat, ut quemadmodum majorum more alii criminosi infelici arbore suspendi solebant, ut in carmine horrendo ait Livius: *lib.* 1. *Caput obnubito, arbori infelici suspendito*, quem locum de cruce accipiendum Lipsius *lib.* 1. *de cruce, cap.* 2. existimat: ita & parricidæ, antequàm insuerentur culleo, cædantur fustibus ex arbore (ut Plinii quæ retulimus verba significant) infelici decerptis.

Nam & in ipsis arboribus felices quasdam, quasdam contrà infelices judicabant Romani, ut ex Veranio de verbis pontificalibus latè ostendit Macrobius, *lib.* 3. Saturn. *cap. fin.* infelicium numero has virgas fortè tribuens, dum ait: *Alnum sanguine infelicem, ficum atram, quæque baccam nigram, nigrôsque fructus fuerunt, &c.* Quin & Cujacius *suprà* idem, lictorum virgas ex istis sanguineis fructicibus fuisse, apud Plinium se legisse testatur. Quod si ita se habet, nihil planè est cur amplius in dubium Modestini verba vocari possint; cùm fasces illi virgarum, qui à lictoribus ferebantur, in reorum verberationem adhiberentur. Et ut Alexander ab Alex. *lib.* 3. *gen. c.* 5. & alii passim ostendunt, nihil aliud securibus alligati significarent, quàm eos qui leviter peccarent flagris, & fustibus; qui verò gravius delinquerent, securi etiam, & ultimo supplicio plectendos. Quamvis in hoc vereor, ne non verùs sit, lictorum virgas ex arbore Betulla, quæ candore, atque tenuitate præcedit, fieri apud Romanos solere. Nam Plin. *lib 16. Betullam terribilem magistratuum virgis appellat.* Et Bernald. *ad Apulejum, lib.* 1. *de asino.* in illud Apulei. *Nam & virgas in te video, & habitum prorsus magistratui congruentem*, in eadem sententia est, quam Alexand. *ab* Alex. 1. *gen. c.* 27. *in fin.* quòque sequutus videtur. Sed nihil vetat ex diversis interdum arboribus fieri: cùm & ulmeos etiam lictorum fasces, quibus rei vapularent, fuisse, apertè Plautus *in Asinaria* ostendat his verbis.

Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederit octo. Validos lictores, ulmeis affectos lentis virgis.

Sunt autem virgæ, teste D. Isidoro, *summitates frondium, arborúmque, sic dictæ, quod virides sint, vel quòd vim arguendi habeant, quæ si lenis fuerit, virga est, si certè nodosa, vel aculeata, scorpio rectissimo nomine dicitur, quod arevato vulnere in corpus figatur.*

CAPUT XII.

Parricidas culleo insui. Quid culleus, & quibus in rebus usurpari solitus? Non semper ex rovio & utre bubulo culleum fieri, sed interdum ex lino, vel canabi, quin & è sparto. Isidori, & Fulgentii obscura de hac re verba cum Turnebo explicata. Cullei mensura & capacitas quæ. Catonis locus de cullei mensura relatus; & cum aliis auctoribus in concordiam reductus. Cullei nomen interdum in obscenis usurpatum videri.

SEd verborum satis verborum: quamvis longa hæc quæ scripsimus, ex Martial. *lib. 2. epigr.* 77. sententia videri non debeant, *quibus nihil est quod demere possis.* Jam ulterius pergamus, & virgis affectum parricidam, tragica cullei veste in theatrum dari, prius de culleo ipso nonnulla dicamus: quem Festus *lib. 3. de verb. sig. in coll.* collum appellat, & genus tormenti è corio definit, ubi Joseph. Scal. *in notis ad Fest. pag.* 46. ex veteribus editionibus *culleus* reponit, & hoc genus tormenti, quo afficiebantur parricidæ, significari, tectissimè admonet. E corio autem culleum fuisse, multorum auctoritate comprobatur. Nam Isidor. *lib. 5. Etym. c.* 37. culleum describens, inquit: *Utrem esse ex corio factum, in quo parricidæ cum simia, gallo, & serpente inclusi in mare præcipitabantur.* Theophil. *in §. alia deinde, inst. de public. jud.* etiam σάκκο βοεῖο vertit, id est *saccum bubulum*, qua eadem ratione Anian. *Græcus interpres, in l. 1. de parricid. in C. Theod. culleum* (inquit) *factum de coriis saccum.* Et Juvenal. *satyr.* 13. *Et deducendum corio bobis in mare.* Sed & nostra etiam lex Hispanica idem prorsus exprimit, dum ait: *E de si que lo metan en un saco de cuero.* Inde mirum, nec sine ratione, Scaliger *supr.* Christ. Colerus *parerg. c.* 3. *qui tamen hunc locum* Petro Danieli *tribuit.* reputat, quod de eadem re Isidorus scribens in glossis, ait: *Culleum tunicam fuisse ex sparto in modum crumenæ factam, & solitam liniri à populo pice, & bitumine*, licèt urnas sparteas, & amphoras sparteas ad vinum metiendum parari solere, ne si fictiles essent, tractando sæpe, ut in metiendo fit, frangerentur, Turneb. *lib. 7. advers. c.* 23. *& lib.* 28. *cap.* 5. admoneat; quas fortè,

quod cullei vicem præstarent, cullei nomine Isidorus donavit. Quemadmodum & Fulgentius, *voc. antiq. cap.* 56. saccum è quacumque re factum, culleum appellat: *Culleus est* (inquit) *saccus è lino, vel canabi, vel corio factus: ab occulendo, id est claudendo dictus; eo utimur ad portanda frumenta.* Sed frequentius culleus ex corio erat, ut apparet, & vasis vinarii genus, in quo tamen, ut & Mantua *lib.* 6. *Enchirid. cap.* 128. notavit, non servatur vinum, sed de loco ad locum, quemadmodum in utribus, vehitur. Quo in sensu, & Cato *de re rustic. cap.* 154. & Ulpianus, atque alii ex nostris Jureconsultis passim, *l. si cui vinum*, §. 1. *de trit. vin. l. fin.* §. *fin. de pig. act. l. legatum*, §. *vini de ann. leg.* hoc nomen accipiunt. Sed neque abest Plinius, *lib.* 7. *cap.* 20. qui de maximis quorumdam hominum viribus agens: *Junius Valens* (inquit) *meruit in prætorio Divi Augusti centurio, vehicula cum cullcis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus.* Unde & Festus *lib.* 3. *in culleola*, ait: *Culleola dicta à similitudine culleorum, quibus vinum, sive oleum continetur.* Præterea culleus mensuræ officium apud Romanos præstabat, & ut ex Columella & Plinio tradit Brissonius *verb. cullei*, & Catellianus Cota, *in memorial. juris, verb. culleus*, urnas quadraginta capiebat. Quò respiciens Prisc. lib. de ponderibus, quem iidem ipsi auctores referunt, & Forcatulus *de penu jur. c.* 25. & Tiber. Dec. *lib.* 9. *crim. cap.* 16. *num.* 9. etiam citavit, sic inquit:

Est & bit deciet, quem conficit amphora nostra
Culleus: hac nulla est major mensura liquoris.

Cato *de rust. c.* 148. quoque cullei mensuram quadraginta urnas capere, sed auctuarii loco unam præterea addi, his verbis significat: *In doliis hoc modo venire oportet, vini in culleos singulos quadragenæ dabantur, & singulæ urnæ.* Aliàs enim, nisi ita cum Turnebo *lib.* 23. *advers. cap.* 9. Catonem accipias, in urna una ab aliis differet, quod probandum non est. Capiebat ergo culleus, ut præter Alciatum, *lib.* 4. *dispunc. cap.* 21. Hispanus noster Mariana *de pond. & mensur. cap.* 16. eruditè demonstrat, amphoras viginti, urnas quadraginta, congios 160. sextarios Romanos 690. Toletanos autem sextarios 1200. singulisque plaustris, singuli cullei vehi soliti erant, uti veteres sculpturæ marmorum indicio sunt. Denique cullei nomen pro vagina sumi, & inter obscœna usurpari solet, ut ex Priapæis constat, & Baptista Pius *annotament. cap.* 41. animadvertit.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat.
An te pudor quàm se violem, aut tua jura recolvam.

CAPUT XIII.

Culleum, propriam fuisse & solemnem parricidarum pœnam, plurimis bonorum auctorum testimoniis adductis eleganter ostenditur. Plauti obscura verba hoc ex fonte cum Lambino contra Janum Dousam vero sensu donantur. In Neronis parricidia populum variè lusisse. Cornificii, vel Ciceron. in Rhetor. verba ad hanc pœnam pertinentia, in medium adducta, & adversus Beroaldum, Catellian. Cotam. Turneb. & alios nova explicatione donata. Folliculus Lupinus quid. Reorum, ubi ultimum essent supplicium subituri faciem ex more velari. Lignea soleæ, quæ reorum pedibus injiciebantur, quid. Adagium, culleo dignus.

CUlleo insui parricidas, & in mare dejici, & hoc supplicii genus jam inde ab antiquis temporibus in tanti criminis reos institutum, licèt præjudicio quodam à nobis in superioribus dictum fuerit hoc tamen capite, rerum dicendarum ordine ita exigente, peculiari observatione hujus erit articuli tractatio suscipienda; quæ & multorum auctorum testimoniis illustris, explicationibus utilis, & ipsa denique varietate jucunda, lectorem non parum, ut arbitror, recreabit. Uti enim apicularum sedulum, & operosum examen, ex diversis floribus ad mellificium suavem colligit succum, & ut Virgilius 4. *Georg.* ait:

= Liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Simili nos ratione, in hoc, ut in alia hujus operis capita, non Jureconsultorum modò responsa, sed aliorum etiam auctorum viridaria libantes idoneos ad mel faciendum flosculos carpimus & in unum qua possumus, diligentia reducimus. Ergo ut L. Hostii, & Publicii Malleoli historiam: Ciceronis & Valerii vulgatissimum locum, & antiqua Jurisprudentum, & noviora Cæsarum oracula prætermittam, quibus cullei pœna parricidis adscribitur, & adducta sæpe, adduci sæpiùs citra Bartologiæ vitium non possunt, Modest. *in l. pœna ad l. Pompejam* Paul. 5. *tent. tit.* 24. Constant. *in l. unic. C. de his qui parent.* Theod. *in l.* 1. *C. de parr. in C.* Theod. *& in l.* 1. *quorum appell. non recip. eod. Cod.* Just. *in d.* §. *alia deind.* Alfons. *in l.* 12. *tit.* 3. *part.* 7. Extat nobile hujus rei apud Senec. *lib.* 1. *de ira c.* 16. testimonium, quod eò scribam libentius, quòd judices, quò se animo in maleficiis puniendis habere debeant, simul commonefacit, sic inquiens. *Et cum cervicem noxio præcidi imperabo, & cum parricidam insuam culleo, & cum Turpejo proditorem hostemve publicum imponam, sine ira, eo vultu animoque ero quo serpentes, & animalia percutio.* Sed & idem Seneca, qui omne genus pœnæ remedii loco ibi admonendum esse suadet: alibi *lib.* 1. *de clementia cap.* 23. clementia interdum plus quàm castigatione opus

opus esse: his, quæ ad rem etiam nostram spectant verbis, ostendit. *Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quàm omnibus seculis insutos accepimus. Multò minus audebant liberi nefas ultimum admittere, quando sine lege crimen fuit. Pessimo loco pietas fuit, postquam sæpius culleos vidimus, quàm cruces.* Agnovit quoque hujus criminis pœnam Plaut. *in Vidularia* dum ait. *Jube hunc insui culleo, atque in altum deportari, si vir bonam annonam*, & licèt obscuro verborum involucro in eandem respexisse videtur, dum Epidicum jocantem his verbis inducit *in Epidico, act.* 3. *sce.* 2.

Ep. *Quia ego tuum patrem faciam perenticidam.*
St. *Quid istuc est verbi?* Ep. *nihil moror vetera & vulgata verba.*
Peratim ductitate, ac ego follitim ductitabo.

Quo in loco Dionisius Lambinus rectè, ut equidem nullus existimo, ad supplicia parricidarum allusum advertit, quos in petam (quam ille itidem quasi culleum interpretatur) insutos, in profundum abjectari moris fuisse didicimus. Unde Poëta formulam illam *Peratim ductitate* è *Pera* composito adverbio festivè deduxit, quasi diceret, *In culleum insuite.* Etsi Janus Dousa *lib.* 2. cum Platin. *explanat. cap.* 16. longè diverso sensu Plauti verba accipienda esse arbitretur. Apuleius *lib.* 10. *asini aurei* etiam, cùm de privigno parricidii à noverca insimulato tractaret, *Nec quisquam* (inquit) *decurionum tam æquus remanserat inveni, quin evidenter noxa compertum insui culleo pronuntiaret.* Juvenalis *Saty.* 13. ex pœna ipsa parricidam significans, sic ait.

Confer & artificem, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.

Et alibi Neronis matricidium, & aliorum cognatorum cædes ab eo commissas reprehendens *Satyr.* 8.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culleus, unus.

Principium enim scelera ut impunita manere possint, notam tamen, & reprehensionem populi effugere non posse, rectè Casiod. 6. var. his verbis scripsit. *Nam malo instituto vivere, nec principi fas est, quando & de illo populus occultè potest dicere, cui mores suos publicè nullus ausus est imputare.* Id quod, vel hoc Neronis exemplo denotatur, in quem etiam vivum adhuc, & Imperii habenas moderantem, variis scommatibus multi ut Sueton, *in Nerone cap.* 39. est auctor, luserunt. Nam Datus Atellanarum histrio, canticum quoddam recitans, ita illum demostravit, ut bibentem natantemque facere, exitium C. Claudii, quem Nero veneno, & Agrippinæ, quam naufragio sustulit, significans. Et alius Neronis statuæ culleum apposuit, hoc addito elogio, *Meruerat, sed ego quid possum?* Sed & alii non minus facete, Orestis & Alcmæonis nominibus illam appellitarunt, & impium ejus matricidium ita admodùm subtiliter carpserunt.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Verùm, ut innumera alia bonorum auctorum testimonia de culleo parricidarum agentia, prætream, unus nobis Cicer. 1. *Rhet. ad Heren. & lib.* 2. *de invent.* sive quisquis ille est, qui Rhetoricorum libros scripsit, ad partes vocetur, qui solemnem hujus supplicii imponendi morem, his verbis eleganter expressit. *Est lex: qui parentem necasse judicatus erit, is obolutus, & obligatus culleo, devehatur in profluentem. Malleolus judicatus est matrem necasse, ei damnato statim folliculo lupino os obolutum est. Et solæ lignæ pedibus inductæ sunt. Deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper dum culleus, in quem conjectus in profluentem deferretur, compararetur.* Quibus in verbis, qui folliculum lupinum pro parricidæ culleo à Cicer. positum putant, meritò à Philippo Beroaldo *in comment. Apul. d. lib.* 10. notantur: qui lupinum folliculum tegumentum potiùs quoddam ex lupina pelle confectum, fuisse arbitratur, quo, ut idem Cicer. ostendit, velatus parricida, in carcerem duceretur, interim dum culleo insutus, ultimas pœnas pendebat. Quam Beroaldi sententiam Catell. quoque Cota *in memorab. verb. culleus*, ad verbum transcripsit, & Adrian. Turneb. *lib.* 3. *adver.* sequutus videtur; ideò parricidæ os folliculo obolvi subjiciens: quòd indignum eum judicarent, qui communi spiritu, luceque frueretur: Lupinum verò esse folliculum voluisse, feritatem significantes ejus, qui necem atrocem & acerbam sua manu parenti intulisset. Mihi verò certiùs esse videtur, eo in loco frequentem puniendorum reorum modum notari, quorum facies ubi jam jam pœnas essent daturi obnubebatur, ut ex Livio *lib.* 1. colligitur, dum legem, qua Horatius perduellionis damnatus afficiendus erat, scribit. *Duumviri perduellionem judicent, si à duumviris provocaverit, provocatione certato, si vincent caput obnubito, infelici arbore reste suspendito.* Et ex Hegesippo *lib.* 5. *c.* 47. qui inquit. *Dum percussor moratur, clausis jam fasciola oculis, ense proripuit ad Romanos.* Et ex Ammiano Marcellino, *lib.* 14. *Carnifex rapinarum sequester, & obductio capitum, & bonorum ubique multiplex.* Et ex libro Esther, *cap.* 7. ubi cum Aman ad crucem raperetur, *Statim operuerunt faciem ejus.* Conducunt quoque Festi verba in *nuptias*, qui in nostro casu ait: *Legem Paretam jubere caput ejus obnubere, qui parentem necavisset.* Quem locum mirum est quàm feliciter à mendo vindicarit Joseph. Scalig. Sed & in illis Cic. verbis *lignæ solæ pedibus inductæ sunt*, ejusdem Turnebi *sup.* judicium probare non possunt, dum ligneas soleas parricidarum pedibus induci arbitratur, ne communi reliquorum hominum è corio calceatu uterentur, neu calceamenta quibus homines uti solerent, polluerent, si ea pedibus suis calcarent, neu ter-

tam communem omnium parentem, nudis pedibus tangerent. Existimoque magis ad lignum quoddam, quod in Barathro, sive Tuill. erat, Cicer. respicere, quod reorum pedes, interim dum ad supplicium ferebantur constringi solebant. Ut ex his Aurel. Prudentii *in hymno Vincentii* & Forner. *lib. 2. sel. cap. 1.* & Cujac. *lib. 9. observat. cap. 37.* mundissimis versibus colligi potest, ubi Barathum eleganter describens, sic ait:

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa merti formicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet
Expers diurni syderis,
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum conjicit
Truculentus hostis martyrem,
Lignoque plantas inserit
Divaricatis cruribus.

Nisi quis fortè parricidæ capiti, folliculum obvolvi, ligneas etiam soleas pedibus induci, magis admittat, ut insutos postea culleo, & in profluentem dejectus, diutius nataret, & (quod in hac pœna curari inferius docebimus) ita super aquam detineretur, ut mergi non posset. Folliculum enim à folle deduci, & inflatam vento pelliculam significare, plenissimum est; unde folliculorum ludos apud antiquos maximè celebratur, quo Julium Cæsarem Octavium, Dionysium Tyrannum, nostrumque Scævolam J. C. remisso à negotiis animo lusisse, memoriæ prodidit Alex. ab Alex. *lib. 3. genial. c. 21.* Sed & illud corolarii vice superioribus adnectemus ex hoc parricidarum supplicio tracta similitudine, quemlibet hominem enormiter scelerosum, proverbiali figura *Culleo dignum* ut Erasm. *Chil. 4. cent. 9. adag. 18. culleo dignus*, advertit, appellari cœpisset: & interdum alia præter parricidium crimina, cullei pœnæ vindicata, literarum monumentis proditum esse. Nam ut Attilium duum virum silentio præteream, quem (ut ex Valer. *lib. 1. cap. 1.* retulimus) sacrilegii reum Tarquinus Rex culleo insutum in mare dejecit, Plutarch. *in Grace.* scribit, Tiberio Gracc. interfecto, C. Vilium ejus familiarem, tamquam seditiosum civem, culleo cum anguibus insutum, mortem obiisse. Idem etiam Plutarch. *lib. de claris mulier.* Cyrenens. olim Mithrid. tempore Leandr. quemdam fratricidam simul & tyranicidam, culleo insutum, in mare deturbasse, testatur. Anthiochus quoque Rex ut Polyb. *lib. 8.* recenset Achæum inimicum sibi hominem, per fraudem ex Sardium arce deduxit, & ubi miserum illud admutilavit, & externas ejus partes succidit, deinde capite ejus resecto, & in Asininum culleum conjecto, reliquum corpus crucifixit. Ex qua historia Justus Lips. *lib. 1. de cruce cap. 4.* & explicat, & emendat Ovid. *in Ibim* dum ait:

More vel intereat capiti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera tesse prependit aqua

Neque absimili ratione Tomyris Scytharum regina, filii necem, capto & occiso Cyro, qui eum interfecerat, vindicans, caput ejus in culleum sanguine repletum, ut Herodotus *lib. 2.* & Justinus *lib. 1.* commemorant, conjici jusit, cum hac exprobatione crudelitatis: *Satia te sanguine quem sitisti, cujusque insatiabili semper fuisti.* Barbarorum etiam quorumdam morem fuisse tradit Valerius, *lib. 9. c. 2. in fin.* mactarum pecudum intestinis & visceribus egestis, homines inserere, ita ut capitibus tantummodò emineant, atque diutius pœnæ ut sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogare: donec intus putrefacti, laniati sint animalibus, quæ tabidis corporibus innasci solent. Quod pœnæ genus Apulejus *lib. 6. asin.* elegantissimis verbis describit, quæ tamen ne nimis hujus capitis moles excrescat, commodius erit apud ipsum auctorem legenda relinquere. Sed illud omitti non potest, pœna cullei adulteros quoque aliquando fuisse punitos, ut constat ex Constantii & Constantis A A. ad Catullinum decisione, in leg. 4. quorum appellat. non recip. in C. Theod. ubi post alia, sic habetur. *Quod deinceps in hujusmodi criminibus convenit observari, ut manifestis probationibus adulterio probato, frustratoria provocato minimè admittatur, cumpari similique ratione sacrilegos nuptiarum, tamquam manifestos parricidas insuere culleo vivos, vel exurere, judicantem oporteat.*

CAPUT XIV.

Canis, Gallus gallinaceus, Simia & Vipera culleo insui quo primum tempore cœperint. Varias esse in hac quæstione Ærodii, Hotomani, Magii, Coleri & aliorum sententiæ. Simiam plane, & viperam in hoc supplicio apud veteres inveniri. Gallum verò & canem non ita. Inde Hotom. in Modestini responso Tribonia ni manum agnoscere. An rectè. Quanam fuerit insuendorum horum animalium generalis inquiritur ratio, & explosa ridicula quædam antiquorum, alia Theophili vehementer probatur.

SImul cum parricidis, canem, gallum gallinaceum, simiam, & viperam, insui debere in culleum, atque in mare dejici, manifestis juris nostri *d. leg. penul. d. l. unic. d. §. alia deinde d. l. 7. t. 7. p. 7. cum aliis*, auctoritatibus comprobatur. Et Cujac. *in parat. & in posthum. recitat ad tit. C. de his qui parent.* se in sententiis Adriani Imp. quæ habentur inter glossas veteres, eandem pœnam legisse commemorat, eo tamen adjecto, ut parricida cum illis animalibus plaustro juncto nigris bubus ferri in mare debeat, & in profundum demergi. Sed quo tempore, quave ratione horum animalium cœtui parricidæ fuerint aggregati, haud facilè scriptores comperiunt. Nam quoad primum, sunt qui existiment, (Pet. Ærod. *lib. 8. decret. tit. 6. c. 9.* Otom. *in indice legum c. de l. Pomp.* Magius *4. misc. c. 8.* P. Christ. Cole. *pa-*

parerg. c. 3. Cicer. tempore nullum ex his culleo insui, alioqui ab eo, dum tam diligenter parricidarum pœnam exaggerat prætermitti non potuisset; neque statim reddita ratio congrueret, dum tradit Cicer. *in orat. pro Rosc. Amer.* majores noluisse feris parricidæ corpus objicere, ne bestiis quoque, quæ tantum sceleris attigissent, immanioribus uteremur. Quoad secundum verò antiquiores omnes, & ex recentioribus multi, ridiculas adeò rationes excogitarunt, ut consultiùs me judice facere viderentur, si, ut in aliis solent, ad Juliani *in l. non omnium D. de legibus*, Cujac. *8. obs. c. 12.* dictum recurrerent, quo *non omnium quæ à majoribus tradita sunt reddi posse rationem admonuit*, aut cum Sen. *lib. 14. epis.* faterentur *Jureconsultorum responsa valere, etiam si ratio non reddatur*: aut cum Nerat. *in l. & ideo ff. de leg. rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportere, ne aliàs multa ex his quæ certa sunt subvertantur.* Ego autem, ut utraque in re meum interponam judicium, viperæ, & simiæ mentionem in hoc supplicio apud antiquos auctores reperio, ut suis locis ostendam; canis verò, & galli, in Modestini dumtaxat, & Cæsarum de hac pœna sanctionibus, ac proindè non omnino Hotoman. *ubi supr.* & Wesemb. *in d. l. §. alia deind. num. 3.* opinionem rejicerem, qui existimat, Constantiniana demum lege hæc animalia cæteris superaddita, & verendum esse, ne hujus novæ constitutionis causa, aliquid Tribonianus in Modestini *in d. l. pœn.* responso commisserit, nisi me in contrarium Adriani sententia in veteri glossario ab Henric. Steph. relata vocaret, cujus *infrà cap. 18.* meminimus, ex qua constat jam inde ab Adriani temporibus hæc omnia animalia includi solere. Quod autem ad causam, seu rationem spectat, ob quam hæc animalia parricidæ sociari jubentur, idcircò institutum videri potest, ut Ærodius *supr.* scribit, ut de eo non tanquam de homine, sed tanquam de bruto supplicium sumi videretur, quem ab hominibus ad bestias remitterent. Aut, quod Theophil. *in d. §. alia deinde*, quem sequitur Eguina. *ibi* Græcus Institutionum paraphrastes magis admittit, quoniam hæ belluæ similes parricidæ mores habere videantur, cum ex his aliæ parentes occidant: aliæ non se contineant, quin cum illis pugnent, & certent. Nam quod Cinus *in d. l. unic. C. de his qui parent.* Jacob. Bullen. *in repet. l. capitalium §. famosos fol. 11. col. 1. D. de pœn.* Ant. Gom. *tom. 3. c. 3. n. 3.* probarunt, ideò hanc diversorum animalium commistionem fieri, quod simia naturali rimore percita fugetur à cane: simia gallum fugat, & gallus viperam, quæ omni destituta adjutorio in parricidæ corpus, quasi in asylum ingreditur, & ejus præcordia corrodens, tanti sceleris meritas exigit pœnas, anilem profectò fabulam, & ægri somnium esse nemo non videt, & adeò nugatorium commentum, ut vel pudeat illud cordatis hominibus in mentem venisse, & à nobis esse in hæc nostra scripta relatum. Sed verum nimirum est, quod olim in philosophia tradidit Plato relatus à Petr. Crin. *de honest. discip. lib. 11. c. 5.* in Jurisprudentiæ hodiè disciplina contingere, ut nullum sit delirium, nullum tam impudens mendacium, quod suos non habeat assertores. Quod & Plinius *lib. 8. de nat. hist. cap. 22.* his verbis scribit. *Mirum est, quò procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.*

CAPUT XV.

Canis quod cum parricida symbolum habeat, & cur simul cum illo culleo includatur. Foreatuli, & Covarrub. rationes, quòd immundus sit & impurus, vel quòd nimis erga dominos fidelis, multis priùs testimoniis, & exemplis ornatæ, postea tanquam minus ad rem facientes rejiciuntur. Canum quorumdam docilitas, & fidelitas admiranda. De Ulysseo Cane nonnulla. Lares canibus tergoribus quare. Novæ rationes ultra alias tentatæ. Rabidi canes dominos petunt. Canes in parentes crudeles. Matres saliunt. A Romanis olim habiti, & quotannis in supplicium rapti, & quare.

SEd ut symbolicam uniuscujusque ex his animalibus sigillatim perscrutemur rationem, & in quo parricidæ similitudinem habeant, tam ex auctorum sententiis, quàm ex ipsius naturæ penetralibus eruamus, à cane nobis initium faciendum est. Quem Stephanus Forcatulus *dial. 34.* & Petr. Piaza *in epit. delict. cap. 22.* ideò huic supplicio adhibitum putant, quòd sceleratum, & immundum hominem ostendit. Constat namque canem, obscœnum, & immundum animal esse, tum ex Virgilio, *1. Georg.* dum ait:

Obscœnique canes, importunæque volucres.

Et Horatio *1. epist. 2.*

=Turpis & excors
Vixisset canis immundus, & amica luto sus.

Tum verò ex Plutarcho, *in problema grac. c. 3.* qui hac ex causa scribit canem, in Atheniensium arcem admitti, fas non esse, nec Delum insulam attingere: & ex aliis, quæ ex Tiraquello, *in l. 15. connub. num. 105.* ejus suppresso nomine, sibi Plaza *dict. cap. 22.* supposuit. Unde eum, qui plus nimio ad impudentiam declinat, caninum oculum habere veteri proverbio dici solitum, ex Polluce adnotavit Cœlius Rhodig. *lib. 17. ant. lect. cap. 27.* & eum, qui facie canem referat, immundum & impudentem hominem futurum, Joannes Nicolaus Porta *de Physognomonia hum. lib. 4. cap. 24.* testatur. Id quod adeò apud veteres constitutum, & exploratum erat, ut convicii, & maledicti loco, ad alicujus turpitudinem, & inverecundos mores notandos, caninum nomen usurparetur. Hinc namque ut Laertius, *in vit. Diog.* D. August. *de civit. Dei, lib. 14. cap. 20.* & D. Chrysost. *homil. in Matth. 34.* recensent, Diogenes ille Philosophus, quòd

ca-

canum more passim, publicè, & nonnumquam in foro, Venerem peragerent, Cynicus dictus est. Et Terentius Chermentem, & Gnatonem sic loquentes facit inter se, *in Eun. actor. 4. scen. 7.*

Ch. *Diminuam ego caput tuum hodie nisi abis,*
Gn. *Ain, verò canis? siccine agis?*

Et Horatius *in libr. Epod. Od. 6.* in maledicum quemdam poëtam:

Quid immerentes (inquit) *hospites vexat canis*
Ignauus aduersum lupos?

Et Vespasianus Demetrium Cynicum in itinere obium sibi, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis canem habuit appellare, ut Sueton. *in Vespas. c. 3.* refert. Quibus testimoniis alia adfabre adjicit Petr. Faber. *lib. 1. semest. c. 9.* quemdam Cicer. *Ex orat. in Pisonem*, locum ex his eleganter exponens. Quò fit, ut mirum videri possit, quod se apud veteres scriptores legisse Pierius *Hierogl. lib. 5. fol. 40.* commemorat, Vulcani templum apud Ætnam Siciliæ montem fuisse, cujus locum incolerent canes, qui castè, piéque adeuntibus adblandirentur, impuros verò, pollutosque, rem quasi divinitus præsagientes, miserabiliter lacerarent. Nec enim canes impudentiæ & obscœnitatis (impudici ipsi adeò, & immundi) apti vindices videbantur. Verùm adhuc Forcatuli ratio licèt his auctoritatibus corroborata, à quæstione nostra toto, quod ajunt, cœlo aberrare videtur. Quid enim rogo impudentia cum impietate? & cum crudelitate immunda canum natura, commune habet, aut simile? Quamobrem Did. Covarrub. *in Clemen. si furiosus in initio 2. part. num. 12.* alium hujusce rei rationem commentus, scribit, Plinio teste, *lib. 8. cap. 40.* canem fidelissimum homini animal esse, & idcircò ad arguendam parricidæ infidelitatem, ut cum eo culleo insueretur inductum. Cui sententiæ plurima quidem, nec injuncunda relatu gravissimorum auctorum Plin. *sup. Ælian. de hist. anim. lib. 1. cap. 9.* Erasm. *in adagio Canis vindictan.* Patric. *lib. 1. de regit. 6.* Alexand. *lib. 3. gen. cap. 7.* Natal. Com. *lib. de venat.* Cedren. *inter Zonaræ annal. tom. 3. col. 99.*) testimonia favent, qui exemplis adductis miram canum in dominos fidem, obsequium, & acceptorum beneficiorum memoriam summis laudibus prosequuntur. Quod haud latuit doctissimum Virgilii interpretem Servium in illud 8. *Æneid.*

Gressumque canes comitantur herilem.

Et epigrammatistam poetam *lib. 14. epigr. 200.* dum ait:

Non tibi sed domino venatur Vertagus acer
Illæsum leporem qui tibi dente ferat.

Et ut deficerent alia, Ulyssei canis exemplo satis ostenditur, qui, post longa temporum spatia Ulyssem in patriam redeuntem, & domo à Penelope sub peregrini habitu receptum, primus cognovit, & motu caudæ adulans domino, illum Penelope uxori aperuit, ut ex Homero Baptista pius *annotam, cap. 3.* latè commemoravit. Qui ibidem ex Arist. *hist. ani. lib. 6.* tradit, hunc canem vigesimo anno mortuum, eoque Martial. *lib. 11. epigr. 71.* respicere dum longa die consumptum, his verbis, ad rem etiam nostram facientibus, cecinit.

Lydia dicebar domino fidissima dextra,
Qui non Erigones malles habere canem
Nec qui dictæa Cephalum de gente sequutus
Luciferæ pariter venit ad astra Deæ,
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani.

Unde, & apud Ægyptios, & alias nationes, canem & gratitudinis, & obsequii, atque obedientiæ Hieroglyphicon esse, Pierius Valerianus *ubi suprà fol. 40. & 42.* testatur, insigni cujusdam canis exemplo relato, qui in Marcelli theatrum, spectatore Vespasiano, à Mimo domino introductus, omnia, quæ ad scenam necessaria erant, quæque vix ab homine exleri possent, magna omnium admiratione collusit: modò mortuum simulans, modò tristem, modò hilarem vultum, uti fabulæ exigebat commentum, ostendens. Quod tamen, imò & fidem omnem illud excedere videtur, quod Joannes Zonaras *tom. 3. ann. fol. 94.* cum multis aliis canum miraculis, cum Simon Majol. *in diebus canicul. colloq. 7. pag. 245.* gravissimus alioqui scriptor, de alio cane cujusdam fabri æris Andreæ vocati, recensuit; ad quem spectandum anno imperii Justiniani 17. confluente populo, multi suos annulos in unum acervum congestos ante canem posuerunt, quos domini jussu, cuique suum citra errorem attullit. Idem rogatus, quis ex his, qui adessent, dives esset, quis pauper, quæ mulier meretrix, quæ vidua, quæ uxor, & id genus alia: ea quoque omnia absque omni errore demonstravit, veste cujusque ad quæstionem ore prehensa. Ex quibus jam satis colligitur quanta insit canibus erga dominos fides, & observatio, quantaque gratitudine illis educationis vicem rependant, pro quibus sæpe mortem etiam oppetere visi sint; longè dissimili à parricidis ratione, qui mente præditi, naturæ legibus, quas ex canibus discere poterant: insuper habiti, non modo parentibus non obsecundant, verùm in eos impias, sacrilegas, & nefarias manus audent inferre. Quibus illud quoque non ineptè subjici poterit, Lares Deos, quibus familiæ totius cura, à Romanis credita erat, canis tergoribus, ac pellibus vestitos, & ornatos fuisse, non alia ratione, si Alex. *3. gen. cap. 12.* & Pierio *suprà*, fides est adhibenda, quàm quòd domus fidi custodes sint, & alienis formidolosi, domesticis verò blandi, atque ad strepitus nocturnos solliciti. Undè non omnino malè fortsitan conjectabimur, Diis Laribus, patres familias necc, præsertim à filio eorumdem sacrorum participe *l. pronunt. 195. §. familiæ de verb. signif. vide infr. lib. 2. cap. 2.* illata offensis, & violatis, canes; qui Lares ipsos

significarent, cum parricidis esse in culleum immissos, ut patratum in Deos facinus expiarent, & paternæ necis competens supplicium deposcerent.

Verùm & si in re hac cimmeriis (quod ajunt) tenebris involuta, & in qua natatore Delio ad certam rationem eruendam opus est, faciliùs sit aliorum opiniones reprehendere, quàm non reprehendenda in medium proponere. Laudo equidem Covarrubiæ judicium, & nostris considerationibus stabilitum, non usquequaque respuendum existimo. Sed quoniam Theophilus, quem supra retulimus generaliter putat, hæc animalia culleo insui; quòd se adversus parentes impiè quoque, & crudeliter gerant, videamus adhuc, an in cane aliquid simile reperiatur? Et verò ego illud tantùm comperio, eam esse hujus animalis naturam, ut rabie percitum, non jam fidei, & educationis memor, dominum, & domesticos ab aliis discernat, sed imò illis plerumque tabificum inferat morsum, haud aliter quàm facere parricidas videmus, qui præfractis moribus, & ferocientibus animis, non jam divina, non humana jura curantes, eos audent indignissimè vita privare, propter quos hanc suavissimam lucem aspexerint. Nisi forte dicere cum Pierio *lib. 14. Hierog. fol. 107.* malimus, canes eam ob causam, idem cum parricida supplicium subire, quòd ipsi impiè etiam facere videantur, cùm & sorores, & matres saliant; vel cum Baldino *in d. §. alia deinde, num. 30. & 31.* Canem, ut Plutarchus *in problem.* sicribit, quòd pugnax esset animal, atque in primis ferox, & & immundum simul, fuisse ab omnibus olim templis prohibitum, ipsique sacerdoti, qui purissimum Deum coleret, abominabilem. Ac proinde rectè impio, & impuro, crudelique parricidæ adjunctum, qui parentem, quem velati Deum quemdam colere debebat, violavit, & hoc veluti sanctissimum templum immani scelere profanavit; Vel tandem non minùs probabiliter consideremus, canes, ut Plinius *lib. 29. c. 4.* & ex eo Cælius *lib. 17. c. 28.* & Alexander ab Alexandro *lib. 3. c. 12.* retulerunt, jam olim à Romanis odio habitos, & patriæ proditores declaratos fuisse, quòd eo, in Capitolium irruentibus Gallis, ipsi mari, & sine latratu egerint, anseribus ampliter, & sonorè inclamantibus, unde eos quotannis in supplicium rapere, & inter ædem Juventutis, & Summani, cruci affigere, cœptum fuit, anseré insidente, cui contra plurimum semper honoris detulerunt. Atque ita Romanos, odiosos sibi canes, cum odioso Diis, & hominibus parricida, eodem supplicio perire voluisse: cum non minus qui patriam, quàm qui parentes violat & prodit, peccare videatur *l. veluti de Instit. & jure.*, quod & nos latius inferius notabimus, & Cicero *in 1. epist. ad Lentul.* sensit, dum dixit: *Vim neque parenti, neque patriæ inferri oportere.* Accedit his, infernales furias canum nomine denotari, illorumque odium notabile esse, ut non ineptè Tiberius Dec. *lib. 9. crimin. c. 16. num. 12. vide adagium cane pejus, & angue odit*, considerat.

CAPUT XVI.

Gallus gallinaceus cur parricidam comitetur Angeli delirium explodituv. Et Acursii item qui gallum gallinaceum malè castratum interpretatur; & pessimè castratos gallos reddè fortiores contendit. Gallinaceus cur appelletur. Galli appellatio varia. Galli Deæ Cybeles sacerdotes cur ita dicti, cum essent castrati. Pugnacissimos esse gallos, & natura vehementer viperis infensos, inde secundum recentiores parricidii pœnæ adaptari. Plura de gallorum pugnis, & ubi hodie in usu. Unde gallorum ludus, qui à pueris Bebanalium tempore sit, originem duxerit. Galli in matres crudeles. Petrum Greg. in Lucretii Carminum allegatione fœdè lapsum, Gallos nimis esse uxorios, & prolis amantes.

ECce Scyllam, id est insignem caninis latratibus scopulum, vix dum Neptuno favente transvecti, jam iterum naufragium faciemus, & in periculosum Charybdis saxum incidimus, cum sese nobis Gallus gallinaceus offerat pertractandus, in cujus expositione, & ecquid simul cum parricida culleo insuatur? reddenda ratione, nullus est interpretum, qui feliciter vastum hoc pelagus transfretaverit, quique ingenii, & existimationis jactum non fecerit. Nam, ut Angeli *in d. l. pœna*, ineptias præteream, qui gallum hunc, non pro gallinaceo accipiendum contendit, sed pro volucre alia, quæ in terris Fori Julii nascitur, ingentis, ut ipse ait, magnitudinis, & faciem multùm grossam habente. Accursius *in lege penult. de parric. & in l. unic. C. d. his qui parent.* non longè meliori judicio gallum gallinaceum, caponem, id est castratum gallum interpretatur, quem, quòd acriter cum serpentibus dimicet, huic supplicio adhibitum putat. Cujus tamen opinio, & in verbis, & in re ipsa falsa, admitti non potest. Certiùs nam que est, gallum gallinaceum, ut & Budæus *in annotation. poster. ad d. l. penult.* & alii notarunt, non pro castrato accipi, sed pro eo potiùs, qui testiculos habeat, & ut Quintillanus *lib. 7. inst. cap. 9.* rectissimè advertit, sic interdum appellari, ob *ἰσωνυμίαν* vitandam, id est errorem, qui ex nominum similitudine nasci posset; cum galli appellatio pluribus rebus conveniat, & simpliciter posita, utrùm gentem, an avem, utrùm nomen, an fortunam corporis denotaret, incertum utique esset. Nec refert Cybeles Deæ sacerdotes, quibus genitalia abscissa erant, gallos fuisse appellatos; nam id nomen ut Herodianus *lib. 1.* ait à flumine Phrigiæ Gallo e's inditum est: quod & Sextus Festus Pomp. *lib. 7. de verb. sign. in call.* luculentius his verbis ostendit: *Galli qui vocantur, Matris Magnæ comites dicti sunt à flumine, cui nomen est Gallo, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiant, ut se*

privent virilitatis parte Et Ovidius 4. *Fastor.* sic inquiens:

Cur igitur gallos, qui se excidere vocamus?
Cùm tantùm à Phrygia, Gallica dictus humus?
Inter, ait, viridem Cybelem altaque Celanas,
Amnis it insuna nomine gallus aqua,
Qui bibit inde furit, procul hinc discedite quibus est
Cura bonæ mentis: qui bibit inde furit.

Quanquam alii, ut Rosinus de *antiquit. Roman. lib.* 3. *cap.* 27. refert, aliam afferant etymologiam, & à Gallo quodam, qui primus Cybeles sacerdos fuerit, dictos eos fuisse arbitrentur. Rursus & in eo est Accur. tota quod ajunt, decempeda lapsus, quòd castratum gallum fortiorem, validioremque ad pugnam fieri putat: Nam etsi Baldus *in l. 1. num.* 2. *C. de Eunu. & in l. Eunuchis C. qui testam. fac. pois.* omne animal castratum excepto homine melius reddi tradiderit. Certius est tamen, quod ad vires attinet, gallum, ut & cætera alia animalia, molliorem, debiliorem, & timidiorem scissis genitalibus reddi, propriusque ad gallinæ naturam accedere, cantum amittere, neque eo temporis spatia metiri, ova incubare, & galli erga gallinas liberalitate amissa, suo tantùm ventri studere, ut rectè scripsit Angles, *de proprietat. rerum lib.* 12. *cap.* 17. & sentire videtur Martialis *lib.* 23. *Epig.* 13. dum ait:

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus
Amisit testes, nunc mihi gallus erit.

Et in Eunucho homine expressit Ovidius *lib.* 2. *amorum Eleg.* 3. sic dicens:

Non tu natus equo, non fortibus utilis armis,
Bellica non dextræ convenit hasta tuæ.
Ista manet tractent: tu spes depone viriles, &c.

Quare his relictis, videamus an ne recentiores interpretes congruentius aliquid hac in parte repererint? Et sanè eorum fermè omnium judicium eo rendit, ut probent, gallum gallinaceum pugnacissimum esse, & admodum viperis, & reliquis serpentibus infensum, ideòque simul culleo insui, ut his pugnantibus gravius parricida affligatur. Ita sensit Forcat. *dialog.* 34. Covarrub. *in d. Clement.* Plaz. *d. cap.* 22. Baldui. *in d. §. alia deinde, n.* 35. & Tiber. Decian. *lib. 9. criminal. cap. 6. n.* 11. qui statim aliam ridiculam rationem comminiscitur. In cujus rei confirmationem ego illud adjicio, adeò insitum esse naturæ ipsa inter gallos, & serpentes dissidium, ut etiam mortui sibi adhuc repugnare videantur. Nam Plinio teste *lib. 29. de natur. hist. cap.* 4. Angles. *sup. c.* 16. carnes gallorum, & crudæ, & calidæ, super viperæ morsum appositæ, veneno medentur. Rursus & illud, gallos ita esse pugnaces, ferocesque, ut juxta ejusdem Plinii *lib.* 10. *natur. hist. cap.* 21. sententiam, dimicatione inter se se imperium, & regnum uniuscujusque domus adquirant, neque finis sit sæpe commorientibus. Sed & Tanagreos, Medicos, & Calcidicos, idem Plinius extollit, quòd ad bella tantùm, & assidua prælia nati videantur. Et Pergami omnibus annis spectaculum gallorum, ceu gladiatorum publicè edi affirmat. Quin & Athenienses etiam legem posuisse, ut galligallinacei, quotannis in theatro certamen inirent, ex Ælian *lib.* 2. *de var. hist. Cal. lib.* 17. *ant. lect. cap.* 32. *& lib.* 9. *cap.* 13. Alex. *lib.* 5. *gen. c.* 8. Erasmus *in adagio Gallus insultat, & gallus submissis alis*; Pier. *lib.* 24. *pag.* 223. dicimus, eò quòd cum Themistocles, exercitum adversus Barbaros educeret, sumpta ex gallis, quos pugnantes vidit, occasione, militum animis virtutis incitamentum injecit. Romæ quoque has gallorum pugnas fieri solitas, ex Columella *lib.* 8. *de re rust.* & aliis latè Beroaldus *ad Sueton. in Octavo c.* 44. ostendit. Et apertè ex Herodiano *lib.* 4. colligitur, qui cùm de Severi filiis loqueretur ita inquit: *Puerili priorum certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus, ac puerorum colludationibus.* In pluribus quoque Galliæ partibus, Bachanalium tempore (carnis privium vocant) hoc gallorum spectaculum per pueros annis singulis fieri, & galli vincentis dominum, regem gallorum creari. Nicolaus Boerius *decis.* 30. *num.* 6. recenset. Quò Hispaniæ item nostræ nos respicit in qua, licèt diverso modo, pueri, rege gallorum electo, eodem prorsus tempore gallos exagitant. In Anglia etiam hodieque, non apud pueros modò, verùm & apud regni Satrapas, & optimates, has gallorum concertationes in deliciis esse, & in aula regia, in hunc dumtaxat usum, peculiarem locum, in palestræ formam constitutum, inibique à gallorum dominis magnam pecuniæ vim in sponsionem deduci, Doctor Laguna oculatus testis scribit *in additionibus ad Dioscor. lib.* 2. *c.* 43. Verùm licèt hæc ita se habeant, adhuc tamen vix est, ut supradictæ rationi acquiescere possim. Nam quod galli inter se pugnacissimi sint, nihil adversum (ut est in proverbio) conducit, nihilque cum parricida commune videtur habere. Deinde quòd cum vipera odium gerant internecinum, magis in viperæ, quàm in parricidæ pœnam spectant; qui, dum inter se bestiolæ illæ insitum natura certamen, ac bellum conficiunt, ab eorum morsibus liber, & innoxius manebit.

Unde si divinandum est, ego licèt Davus sim non OEdipus, verosimilius esse arbitror, quod Pierius *lib.* 14. *Hieroglyph. pag.* 134. *& lib.* 24. *pag.* 224. existimat, gallum nempè ea de causa culleo insui jussum, & quia ipse impietatis symbolum habeat, & cùm matrem salat, ut hyppopotamus, & patrem etiam immaniter incessat. Unde apud Aristophanem, Philipides, qui patrem verberaverat, exemplo galli factum tuetur suum, & Lucretius *lib.* 2. *de nat. rerum.* quem in hanc rem Petrus Gregorius Tholosanus *lib.* 36. *Syntag. cap.* 24. *n.* 10. allegat gallos ingratos esse in patres, sic de terra loquens, scribit.

Gallos attribuunt (scilicet terræ) *quia numen qui violarint.*
Matris & ingrati genitoribus inventi sint,
Significare volunt, indignat esse putandos,
Vivam progeniem, qui in oras luminis edant.

Quæ

Quæ tamen carmina ut ex præcedentibus constat, & ibi Dionysius Lambinus *in comment. Lucretii* advertit, non de gallis gallinaceis, sed de Gallis Deæ Cybeles sacerdotibus, de quibus supra mentionem habuimus, intelligi debent, atque ita minùs aptè à Petro Greg. adducta videntur. His ego illud tandem adjicio, non omnino gallorum, & parricidarum mores differre; nam sicut illi, soli in unaquaque domo esse conantur, neque imperii, ut ex Plinio retulimus, consortem patiuntur: ita parricidæ, dum parentum hæreditatibus inhiant, & bonorum administrationem liberam habere conantur, immani audacia parentum fata properant, & illis mortem inferre non timent. Sed neque abs re erit si dixerimus, gallum in his impium, in multis tamen aliis & pietatis studiosum, & curæ erga sobolem valdè solicitum. Hinc enim videmus, eum maximè gallinis deditum, ac velut uxorium esse, tantamque turbam unicum maritum implere, tum etiam pro pullis acerrimè depugnare, & ut ex auctoritate Ambrosii Leonis Nolani refert Erasmus *in adagio, Gallus antequam iterum cantet. chil.* 3. *tit.* 7. *adag.* 67. frequentem, & diei nuncium cantum emittere, dum prolis fœcunditati studet, atque ideò mirum non esse, si ab impio filio amantissimus sobolis gallus supplicium exigat. Sed quoniam hæc quæ de gallo scripsimus, & reliqua omnia, quæ ei à natura tribuuntur, exactè admodum, & apprimè, carminibus complexus est Alardus Æmstelredamus *inter luculubrationes Rodolphi Agricolæ*, eis relatis huic capiti finem imponere visum est.

Quamquam multa vigil nobis fert commoda gallus,
Hæc tamen è multis commodiora putem.
Sive quòd obstreperè lucem vocat ore morantem,
Sive quòd instantem clamat adesse diem:
Sive quòd incautis solis denuntiat ortum,
Inque opera ignavos excitat artifices.
Sive quòd hæc cælum crebro sòlo aspicit ales,
Venturique sagax excubat exitii.
Gallus gallinis præfectus pluribus unus
Unicus hic tanto vir satis usque gregi est.
Fœcundat quò sit fœtus, numerosaque proles,
Cantans dulcisona provocat illecebra.
Rivalesque procul tectis ab heribus arcens,
Non à corte foràs longius egreditur.
Imperitaque suo genera, & quæcunque morantur
Sede, tot exercet, quod tenet imperium.
Inque suo sperquilinio nimium audet, ovatque,
Quisquis ferè proprijs regnat in aviculis.
Abstinet inventis ungui quæ scalpserit escis,
Argutoque satax convocat ore pecus.
Gnaviter uxores, pullos, totamque cohortem
Asserit, ac hospes calcibus extimulat.
Quod si palma datur, victor plaudentibus alis
Mox canit, aut victus clam fugit, atque silet.
Denique propagata futura & prolibus auctis,
Mirè solicitus, semper & advigilans.
Sic vigil, astriduus, condus, frugique maritus
Prospicit uxori nocte, die que tuæ.
Conjugis ut castum potuit servare cubile,
Et parvos natos arte fovere tua.
Non tua contemnens, aliena negotia curans
Claudus uti tutor detinet usque domi.
Semper ab hac operâ, summo venerandus honore
Ille viri veri vera erit effigies.

Obras Posthumas.

CAPUT XVII.

Viperam parricidæ similem esse, ideoque in ejus supplicio adhiberi, cùm hæc quoque parentis viscera nascendo prærumpat. Hoc multorum auctorum argumentis probatur. Ex aliis posteà in dubium vocatur. Tandem prior opinio magis admittitur. Sacrilegii quomodo apud Æthiopes puniti. Hominum quorundam natura, quibus venenata animalia non noceant.

VIperam simul cùm cane & gallo culleo insui, non juris tantùm, verùm humaniorum etiam literarum auctores passim ostendunt, licèt omnes, & in nomine, & in numero varient. Nam Modestinus & Justinian. ille *in d. l. pœna*; hic *in d. §. alia deinde*, viperam appellant, Seneca *lib.* 1. *de Clem.* serpentem, *Non culleum, non serpentem, non carcerem decrevit.* Et alibi *contr.* 5. *cont.* 4. *Imaginabar mihi culleum, serpentem, profundum.* Cui & Juvenalis *satyr.* 6. convenit, ubi de Nerone loquens, ait:

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, &c.

Et vetus Onomasticon Petri Danielis, quod laudat Turnebus *lib.* 28. *adver. c.* 5. & Christophorus Colerus *lib. sing. parer. c.* 3. ubi culleus diffinitur, *Tunica de sparto in modum eronis facta, quæ linebatur pice & bitumine, in qua includebantur parricidæ, cum simia, serpente, & gallo.* Hispana autem lex nostra 12. *tit.* 8. *p.* 7. colubrum sive anguem vocat, ibi *E que encierren con él un can, é un gallo, é una culebra, é un ximio*, à qua non differt Plutarchus *in Græchis.* dum scribit Cajum Villium proditorem, & seditiosum civem, in culleo cum anguibus insutum fuisse. Nisi quòd hic plures angues insui ostendit, non unum, quod & Quintilianus insinuat in *declam.* dum ait *culleo & serpentibus expianda feritas.* Et Constantinus Imperator *in d. l. uni C. de his qui parent.* sic scribens de parricida: *Et inter eas ferales angustias comprehensus, serpentium contuberniis mittetur.* Sed rectè Hieronymus Magius *lib.* 4. *miscel. c.* 8. pluralem pro singulari, ut alias sæpè, ita in his locis apponi, considerat. Quamvis quoad Constantini sanctionem, verius sit, ibi serpentium nomine reliqua alia, quæ cùm parricida misceri jubentur, animalia contineri: nam anteà viperæ mentionem in singulari numero fecerat. Cur verò vipera huic supplicio adhibeatur? longa explicatione non eget, cùm omnium ita post ordinarios tradit Balduin. *num.* 33. *in d. §. alia deinde.* Forcat. *d. dialog.* 34. Covarr. *d. Clem.* Petr. Greg. *d. lib.* 36. *cap.* 24. Plaz. *d. cap.* 22. *num.* 7. consensu ea parricidæ symbolum habeat, & simili delicto videatur obnoxia: nam ut Plinius *lib.* 11. *cap.* 44. *& lib.* 8. *cap.* 54. & Aristoteles *lib.* 2. *de hist. anim. cap.* 8. tradunt, non nisi exeso parentis utero prorumpit in lucem, & per parricidium vitæ ducit initia. Vipera quip-

pè fœmina ore marem excipiens, ejus sub finem coitus caput obtruncat, illam autem prægnantem catuli exedunt, & veluti paternæ necis ultores, exeuntes, latera, parente occisa, perrumpunt. Unde apud Ægyptios, ut Orus Apollo *de lit.* & *lib.* 14. *in princ.* Pierius recensent, mulierem ob solum concubitum marito assentantem, per viperam significabant. Quod Adrianus etiam Junius *Embl.* 38. eleganter in suis Emblemat. expressit, sic inquiens.

Cum ruit in Venerem, blanditur Echidna marito,
Mox natura interum præcidit ore caput.
Improba palpatur sentigine fervida conjux
Continuò fetum, porcit anhela viri.

Et quod ad rem nostram propriùs spectat, liberos in matrem conspirantes, eique insidias parantes, ejusdem viperæ Hieroglyphica nota repræsentabant, ut ultra supradictos auctores, Cælius Rhodiginius *lib. 6. cap.* 13. sic etiam leges, quæ viperam patricidæ sociari volunt, interpretatus scripsit. Qui idem *eodem lib. cap.* 16. quodnam serpentis genus hoc sit, quod latinè vipera dicitur, latè disquirit. Sed fuerunt tamen nonnulli nec contemnendæ fidei auctores, qui, hoc totum, quod de viperis diximus, fabulam esse affirmant. Nam neque in coitu fœminam mariti caput præscindere, Albertus Magnus cum aliis, quos refert & Pet. Mex. *in Sylva var. lect. lib. 3. cap.* 11. testatur Neque sobolem abroso matris utero in lucem prodire, Philostratus *in Apollonii vita lib. 2. cap.* 8. scriptum reliquit ubi *viperam esse visam* (ait) *serpentes quos peperisset lambentem, quasique expollientem. Non assentior ô Damis, imprudenti eorum sermoni qui dicunt, viperarum filios absque matre nasci? Neque enim hoc natura patitur, neque comprobat experientia.* Sed & Theophrastus relatus à Pier. *sup. cum* Ælian. *lib.* 14. *c.* 16. summæ diligentiæ inter Græcos, scriptor, matris uterum à catulis exedi negat, & mortis sicubi contingit, causam inde precedere comminiscitur, quòd alvus sponte rumpatur, utpotè quæ angusta adeò sit, ut tam numerosæ prolis multitudinem & incrementum capere nequeat. Et experientia compertum esse, viperas, aliorum instar animalium conjungi, parere, fœtusque suos educare. Pierius Valerianus *d. lib.* 14. & novissimè Simon Majolus *dierum canicularum colloquio* 8. *pag.* 334. & 335. latè testantur. Verum ut hoc ita sit, communis tamen, quæ de viperarum parricidio increbuit opinio, satis in causa esse potuit, ut prudentissimi legislatores, eam cum homine ejusdem criminis reo consuerent. Et verò adduci non possum ut credam, Aristotelem, Plinium, Ælianum, & alios nobis imponere voluisse. Quin & historiæ patrem Herodotum *lib.* 3. comperio, inter alia, quæ natura parens providenter induxit, hoc, quod de viperarum morte retulimus, connumerare, *ne aliàs si communi aliorum serpentium more gignerentur, hominibus vivendi facultas non esset.* Nicander etiam & Galenus ut Pierius *sup.* refert, in eandem sententiam plura scripsere. Nicandri verò carmina à Pierio Latina reddita, quia pulchra omitti non possunt. Ea igitur post alia sic habent.

Vipereo occurrat generi, namque illa in apertas
Excipiens semen fauces: caput inde mariti
Complexu in dulci abscindit: mox damna parentis
Extincti fera progenies ulciscitur, alvo
Materna abrosa, & catuli sine matre oriuntur:
Sola etenim hæc animat fœtum, &c.

Divus quoque Basilius *in exam. Viperas* (inquit) *utero devorato fama est in lucem prodire.* Et Plutarchus loquaces taxans, eos viperis persimiles dicit, quæ pariendo rumpuntur. Ex quibus apparet meritò viperarum morsibus, & venenis parricidas objici, qui viperas ipsas, immanitate & impietate, & æquant, & superant. Neque mirum si cum vipera projiciantur: nam & sacrilegii reos, (qui parricidis, ut alibi diximus, similes sunt, utriusque enim sceleris radix est avaritia) ita puniebant Æthiopes, ut plantam quamdam, quæ apud eos est, nomine Ophiusam, lividam, difficilemque aspectu bibere cogerent. Ea enim epota, ut Plinius *lib.* 24. *ca...* recenset, terrores, minæque serpentum ita eorum oculis obversantur, ut horrore venenatorum animantum sibi mortem conciscant. Planè cùm de viperis agamus, illud minimè prætermittendum fuerit, homines quosdam esse, quibus illæ, & reliqui venenosi serpentes nihil afferant nocumenti, ut de Psylorum & Marsorum populis plurimi tradiderunt: Plin. 36. *cap.* 7. Herod. *lib.* 3. Varro *in loco citato* à Turneb. *lib.* 16. *ad. cap.* 6. Cælius *lib.* 4. *lect. ant. cap.* 23. visumque Romæ, ut refert Petrus Crinitus *de hon. disc. lib.* 1. *c.* 3. Exagonum quemdam, qui cum forte in urbe orator ageret, ac venenorum vires potestatemque jactaret; volens, experimenti faciendi causa in dolium serpentibus plenum conjectus est, qui non sine maxima omnium admiratione, eum circumlambere, atque demulcere cœperunt.

CAPUT XVIII.

Quid habeat Simia cum parricida commune. Forcat. Balduin. Petr. Greg. & Covarrub. rationes confirmatæ priùs, deinde rejectæ. Alia quæ nec ipsos latuit magis probata. Plura de simiarum natura, & hominum imitatione. Catulos ab eis interdum nimis complectendo necari. Animalia quædam parentes occidere.

SED prodeat jam simia, quamque in hac tragœdia personam agat, nobis aperiat. Nam quod Forcatulus *dial.* 34. putat ideò culleo insui, quòd similis sit homini, interim & deformis, sicuti parricidæ, qui sub figura hominum, immanitatem belluarum gerunt, mihi longè admodum petitum videtur. Rursus quod Balduinus *in d. §. alia num.* 33. & Petrus Gregorius *d. c.* 24. *num.* 9. Tiber. Dec. *lib. 9. crim. cap.* 16. *num.* 14. admittunt, per simiam

miam significari, parricidas formam quidem habere hominum, at reipsa hominis nomine indignos esse, & nihil hominis, præter formam habere, sicut Socrates olim homines sine ratione simias vocabat, eodem planè morbo laborat, & minùs apta ratio videtur, si consideremus eum, qui infandum parricidii scelus committit, non bestias imitari, quas Tullio teste *in orat. pro Roscio.* inter se se partus, educatio, & natura conciliat: sed imo eis adversari censendum esse. Nam belluæ non solùm in parentes, verùm neque in alias sui generis dimicant, & ut rectè ait Plinius, *Cætera animantia in suo genere probè degunt. Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ, ac pisces, nisi in diversa sævient. At herculè homini plura ex homine sunt mala.* Accedit his, quod ut ex Theophilo *in d. §. alia deinde.* Sæpe admonuimus, animalia isthæc, quæ cum parricida includuntur, crudelitatis, & impietatis aliquid etiam habere censentur. Quod, & Adriani Imperatoris sententiæ, quas cum veteri Glossario Herinc. Stephanus *in glossar.* vulgavit, satis ostendunt, dum jubent, *ut qui parricidium fecerit, publicè in culleo missus consuatur cum vipera, & cane, & simia, & gallo impiis animalibus, impius homo.* At in simia secundum superiorem rationem nulla impietatis consideratio reperiri potest. Quod idem in causa est, ut minùs probem aliam Didaci Covarrub. *in d. Clem.* sententiam, qui docet ideò forsan, simiam pœnæ parricidii convenire, ut nulla sit tanti facinoris apud homines imitatio, quos nullum animal perfectiùs imitatur, quàm simia, ut Plinius *lib.* 8. *cap.* 54. & Arist. *de hist. anim. lib.* 2. *cap.* 18. tradunt, quæ nedum corpore, sed ingenio quoque, & ratione eis similes sunt, ut multis exemplis Pierius *lib. 6. Hieroglyph.* demonstrat, qui, apud Ægyptios literarum simulacrum per simias intelligi tradit. Ergo restat, ut ejusdem Pierii *d. lib. 6. & lib.* 14. *ex Plin. & aliis,* judicium sequamur, quod & supradicti etiam auctores variando probant: & simiam parricidii item ream esse dicamus cum frequenter catulos ipsos, quos peperit, nimis complectendo occidere soleat. Quamvis Juvenalis *satyr.* 13. eam innoxiam hoc supplicio affici ostendat, dum ait:

Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.

Qui tamen *satyr.* 6. sine hoc adjectivo ejusdem in hac pœna fecit mentionem, inquiens:

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, &c.

Sed neque hæc tantùm animantia, quæ his ex causis culleo insui tam latè explicuimus, parricidii scelere contaminantur, verùm phalangia, eadem prorsus impietate sunt prædita: hæc enim fœtu numeroso (quippè supra triginta interdum edita) matrem, quàm primùm orta fuerint, interimunt, interdum & patrem, quæ tamen veluti talionem rependen-

tia, demum à suis ipsa, ut Plinius *lib.* 11. *cap.* 24. & Aristoteles *lib.* 5. *c.* 27. ajunt, necantur, quod & in scorpionibus accidit, hi enim fœtum devorant, uno dempto subtilissimo, qui se matris clunibus imponendo, tutus & à morsu, & à cauda loco fiat. Qui posteà genitores supernè conficit: quasi natura impunita quoque in brutis parricidia relinquere nolit, ut supra dicti etiam auctores testantur. Plin. *d. lib.* 11. *c.* 25. Arist. *d. lib.* 5. *cap.* 26. Hyppopotami autem, seu equi fluvialis, (ut polypos interim taceam) nihilò mitior est natura; is enim soli Nilo cognitus, corio, & pilis vestitus, ut vitulus marinus, genitori quoque suo non parcit, sed in id impietatis, & imprudentiæ procedit, ut eo necato vi matrem ineat, ut ex Ammiano Solino, & aliis, Adrianus Junius *embl.* 17. & 45. commemorat, impios puniri debere, hoc elegantissimo emblemate ostendens:

Hostis colubri alter insidet sceptro
Substracta quod Nilus equi premit terga.
Domat superbos, impietque procul eat
Sceptrum æquitatis, noxiosque consumit.

CAPUT XIX.

Parricidas culleo cum animalibus inclusos in mare jactari. Hoc solemne fuisse, neque ante Constantinum in flumen dimissos. Qualiter in mare deferrentur. Ciceronis verba in dubium vocata. Accursii & aliorum opinio, qui in Modest. respons. mare pro flumine accipiunt explosa. Jurisconsultos semper propriè loquutos, fuisse aliquando parricidas bestiis, aut igni traditos. Quædam de hi pœnis.

PRogrediemur ulteriùs, & egregium novæ hujus, & inauditæ pœnæ candidatum, hoc animalium (de quibus tam latè egimus) contubernio involutum; hoc totius Averni sodalitio comitatum; in profundum præcipitemus. Certè enim priscis temporibus non nisi in mare tanti criminis reos deiici solitos argumentis evincitur necessariis. Nam & Modestinus *in d. l. pœn. de parric.* de hoc agens supplicio: *Deinde* (inquit) *in mare profundum culleus jactetur.* Et Paulus *lib.* 5. *sent. tit.* 24. *Hi etsi antea insuti culleo in mare præcipitabantur.* Et Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. Attilium Duumvirum sacrilegii reum, qui primus hanc pœnam, posteà parricidis irrogatam, expertus est, culleo insutum in mare abjici jussum scribit. Neque enim tantum monstrum fas esse putarunt in Tiberim Romæ dejicere, & in mare licèt remotum deportari voluerunt. Unde Plautus *in Vidularia: Jube hunc insui culleo atque in altum deportari.* Et Seneca 5. *contr.* 4. *Imaginabar mihi culleum, serpentem, profundum.* Sed & Quintilian. *declam.* 299. & cæteri fermè omnes Auctores, sicubi hujus pœnæ, maris quoque mentionem faciunt. Et Juvenal. *satyr.* 13. sæpè citatus, deduci in mare parricidam significat, dum ait:

Et deducendum corio bovis in mare.

pè fœmina ore marem excipiens, ejus sub finem coitus caput obtruncat, illam autem prægnantem catuli exedunt, & veluti paternæ necis ultores, exeuntes, latera, parente occisa, perrumpunt. Unde apud Ægyptios, ut Orus Apollo *de lit.* & *lib.* 14. *in princ.* Pierius recensent, mulierem ob solum concubitum marito assentantem, per viperam significabant. Quod Adrianus etiam Junius *Embl.* 38. eleganter in suis Emblemat. expressit, sic inquiens.

Cum ruit in Venerem, blanditur Echidna marito,
Mox natura interum præcidit ore caput.
Improba palpatur sentigine fervida conjux
Continuò fetum, porcit anhela viri.

Et quod ad rem nostram propriùs spectat, liberos in matrem conspirantes, eique insidias parantes, ejusdem viperæ Hieroglyphica nota repræsentabant, ut ultra supradictos auctores, Cælius Rhodiginius *lib. 6. cap.* 13. sic etiam leges, quæ viperam patricidæ sociari volunt, interpretatus scripsit. Qui idem *eodem lib. cap.* 16. quodnam serpentis genus hoc sit, quod latinè vipera dicitur, latè disquirit. Sed fuerunt tamen nonnulli nec contemnendæ fidei auctores, qui, hoc totum, quod de viperis diximus, fabulam esse affirmant. Nam neque in coitu fœminam mariti caput præscindere, Albertus Magnus cum aliis, quos refert & Pet. Mex. *in Sylva var. lect. lib. 3. cap.* 11. testatur Neque sobolem abroso matris utero in lucem prodire, Philostratus *in Apollonii vita lib. 2. cap.* 8. scriptum reliquit ubi *viperam esse visam* (ait) *serpentes quos peperisset lambentem, quasique expollientem. Non assentior ô Damis, imprudenti eorum sermoni qui dicunt, viperarum filios absque matre nasci? Neque enim hoc natura patitur, neque comprobat experientia.* Sed & Theophrastus relatus à Pier. *sup. cum* Ælian. *lib.* 14. *c.* 16. summæ diligentiæ inter Græcos, scriptor, matris uterum à catulis exedi negat, & mortis sicubi contingit, causam inde precedere comminiscitur, quòd alvus sponte rumpatur, utpotè quæ angusta adeò sit, ut tam numerosæ prolis multitudinem & incrementum capere nequeat. Et experientia compertum esse, viperas, aliorum instar animalium conjungi, parere, fœtusque suos educare. Pierius Valerianus *d. lib.* 14. & novissimè Simon Majolus *dierum canicularum colloquio* 8. *pag.* 334. & 335. latè testantur. Verum ut hoc ita sit, communis tamen, quæ de viperarum parricidio increbuit opinio, satis in causa esse potuit, ut prudentissimi legislatores, eam cum homine ejusdem criminis reo consuerent. Et verò adduci non possum ut credam, Aristotelem, Plinium, Ælianum, & alios nobis imponere voluisse. Quin & historiæ patrem Herodotum *lib.* 3. comperio, inter alia, quæ natura parens providenter induxit, hoc, quod de viperarum morte retulimus, connumerare, *ne aliàs si communi aliorum serpentium more gignerentur, hominibus vivendi facultas non esset.* Nicander etiam & Galenus ut Pierius *sup.* refert, in eandem sententiam plura scripsere. Nicandri verò carmina à Pierio Latina reddita, quia pulchra omitti non possunt. Ea igitur post alia sic habent.

Vipereo occurrat generi, namque illa in apertas
Excipiens semen fauces: caput inde mariti
Complexu in dulci abscindit: mox damna parentis
Extincti fera progenies ulciscitur, alvo
Materna abrosa, & catuli sine matre oriuntur:
Sola etenim hæc animat fœtum, &c.

Divus quoque Basilius *in exam. Viperas* (inquit) *utero devorato fama est in lucem prodire.* Et Plutarchus loquaces taxans, eos viperis persimiles dicit, quæ pariendo rumpuntur. Ex quibus apparet meritò viperarum morsibus, & venenis parricidas objici, qui viperas ipsas, immanitate & impietate, & æquant, & superant. Neque mirum si cum vipera projiciantur: nam & sacrilegii reos, (qui parricidis, ut alibi diximus, similes sunt, utriusque enim sceleris radix est avaritia) ita puniebant Æthiopes, ut plantam quamdam, quæ apud eos est, nomine Ophiusam, lividam, difficilemque aspectu bibere cogerent. Ea enim epota, ut Plinius *lib.* 24. *ca...* recenset, terrores, minæque serpentum ita eorum oculis obversantur, ut horrore venenatorum animantum sibi mortem conciscant. Planè cùm de viperis agamus, illud minimè prætermittendum fuerit, homines quosdam esse, quibus illæ, & reliqui venenosi serpentes nihil afferant nocumenti, ut de Psylorum & Marsorum populis plurimi tradiderunt: Plin. 36. *cap.* 7. Herod. *lib.* 3. Varro *in loco citato* à Turneb. *lib.* 16. *ad. cap.* 6. Cælius *lib.* 4. *lect. ant. cap.* 23. visumque Romæ, ut refert Petrus Crinitus *de hon. disc. lib.* 1. *c.* 3. Exagonum quemdam, qui cum forte in urbe orator ageret, ac venenorum vires potestatemque jactaret; volens, experimenti faciendi causa in dolium serpentibus plenum conjectus est, qui non sine maxima omnium admiratione, eum circumlambere, atque demulcere cœperunt.

CAPUT XVIII.

Quid habeat Simia cum parricida commune. Forcat. Balduin. Petr. Greg. & Covarrub. rationes confirmatæ priùs, deinde rejectæ. Alia quæ nec ipsos latuit magis probata. Plura de simiarum natura, & hominum imitatione. Catulos ab eis interdum nimis complectendo necari. Animalia quædam parentes occidere.

SED prodeat jam simia, quamque in hac tragœdia personam agat, nobis aperiat. Nam quod Forcatulus *dial.* 34. putat ideò culleo insui, quòd similis sit homini, interim & deformis, sicuti parricidæ, qui sub figura hominum, immanitatem belluarum gerunt, mihi longè admodum petitum videtur. Rursus quod Balduinus *in d. §. alia num.* 33. & Petrus Gregorius *d. c.* 24. *num.* 9. Tiber. Dec. *lib. 9. crim. cap.* 16. *num.* 14. admittunt, per simiam

miam significari, parricidas formam quidem habere hominum, at reipsa hominis nomine indignos esse, & nihil hominis, præter formam habere, sicut Socrates olim homines sine ratione simias vocabat, eodem planè morbo laborat, & minùs apta ratio videtur, si consideremus eum, qui infandum parricidii scelus committit, non bestias imitari, quas Tullio teste *in orat. pro Roscio.* inter se se partus, educatio, & natura conciliat: sed imo eis adversari censendum esse. Nam belluæ non solùm in parentes, verùm neque in alias sui generis dimicant, & ut rectè ait Plinius, *Cætera animantia in suo genere probè degunt. Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ, ac pisces, nisi in diversa sævient. At herculè homini plura ex homine sunt mala.* Accedit his, quod ut ex Theophilo *in d. §. alia deinde.* Sæpe admonuimus, animalia isthæc, quæ cum parricida includuntur, crudelitatis, & impietatis aliquid etiam habere censentur. Quod, & Adriani Imperatoris sententiæ, quas cum veteri Glossario Herinc. Stephanus *in glossar.* vulgavit, satis ostendunt, dum jubent, *ut qui parricidium fecerit, publicè in culleo missus consuatur cum vipera, & cane, & simia, & gallo impiis animalibus, impius homo.* At in simia secundum superiorem rationem nulla impietatis consideratio reperiri potest. Quod idem in causa est, ut minùs probem aliam Didaci Covarrub. *in d. Clem.* sententiam, qui docet ideò forsan, simiam pœnæ parricidii convenire, ut nulla sit tanti facinoris apud homines imitatio, quos nullum animal perfectiùs imitatur, quàm simia, ut Plinius *lib.* 8. *cap.* 54. & Arist. *de hist. anim. lib.* 2. *cap.* 18. tradunt, quæ nedum corpore, sed ingenio quoque, & ratione eis similes sunt, ut multis exemplis Pierius *lib. 6. Hieroglyph.* demonstrat, qui, apud Ægyptios literarum simulacrum per simias intelligi tradit. Ergo restat, ut ejusdem Pierii *d. lib. 6. & lib.* 14. *ex Plin. & aliis,* judicium sequamur, quod & supradicti etiam auctores variando probant: & simiam parricidii item ream esse dicamus cum frequenter catulos ipsos, quos peperit, nimis complectendo occidere soleat. Quamvis Juvenalis *satyr.* 13. eam innoxiam hoc supplicio affici ostendat, dum ait:

Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.

Qui tamen *satyr.* 6. sine hoc adjectivo ejusdem in hac pœna fecit mentionem, inquiens:

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, &c.

Sed neque hæc tantùm animantia, quæ his ex causis culleo insui tam latè explicuimus, parricidii scelere contaminantur, verùm phalangia, eadem prorsus impietate sunt prædita: hæc enim fœtu numeroso (quippè supra triginta interdum edita) matrem, quàm primùm orta fuerint, interimunt, interdum & patrem, quæ tamen veluti talionem rependen-

tia, demum à suis ipsa, ut Plinius *lib.* 11. *cap.* 24. & Aristoteles *lib.* 5. *c.* 27. ajunt, necantur, quod & in scorpionibus accidit, hi enim fœtum devorant, uno dempto subtilissimo, qui se matris clunibus imponendo, tutus & à morsu, & à cauda loco fiat. Qui posteà genitores supernè conficit: quasi natura impunita quoque in brutis parricidia relinquere nolit, ut supra dicti etiam auctores testantur. Plin. *d. lib.* 11. *c.* 25. Arist. *d. lib.* 5. *cap.* 26. Hyppopotami autem, seu equi fluvialis, (ut polypos interim taceam) nihilò mitior est natura; is enim soli Nilo cognitus, corio, & pilis vestitus, ut vitulus marinus, genitori quoque suo non parcit, sed in id impietatis, & imprudentiæ procedit, ut eo necato vi matrem ineat, ut ex Ammiano Solino, & aliis, Adrianus Junius *embl.* 17. & 45. commemorat, impios puniri debere, hoc elegantissimo emblemate ostendens:

Hostis colubri alter insidet sceptro
Substracta quod Nilus equi premit terga.
Domat superbos, impietque procul eat
Sceptrum æquitatis, noxiosque consumit.

CAPUT XIX.

Parricidas culleo cum animalibus inclusos in mare jactari. Hoc solemne fuisse, neque ante Constantinum in flumen dimissos. Qualiter in mare deferrentur. Ciceronis verba in dubium vocata. Accursii & aliorum opinio, qui in Modest. respons. mare pro flumine accipiunt explosa. Jurisconsultos semper propriè loquutos, fuisse aliquando parricidas bestiis, aut igni traditos. Quædam de hi pœnis.

PRogrediemur ulteriùs, & egregium novæ hujus, & inauditæ pœnæ candidatum, hoc animalium (de quibus tam latè egimus) contubernio involutum; hoc totius Averni sodalitio comitatum; in profundum præcipitemus. Certè enim priscis temporibus non nisi in mare tanti criminis reos deiici solitos argumentis evincitur necessariis. Nam & Modestinus *in d. l. pœn. de parric.* de hoc agens supplicio: *Deinde* (inquit) *in mare profundum culleus jactetur.* Et Paulus *lib.* 5. *sent. tit.* 24. *Hi etsi antea insuti culleo in mare præcipitabantur.* Et Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. Attilium Duumvirum sacrilegii reum, qui primus hanc pœnam, posteà parricidis irrogatam, expertus est, culleo insutum in mare abjici jussum scribit. Neque enim tantum monstrum fas esse putarunt in Tiberim Romæ dejicere, & in mare licèt remotum deportari voluerunt. Unde Plautus *in Vidularia: Jube hunc insui culleo atque in altum deportari.* Et Seneca 5. *contr.* 4. *Imaginabar mihi culleum, serpentem, profundum.* Sed & Quintilian. *declam.* 299. & cæteri fermè omnes Auctores, sicubi hujus pœnæ, maris quoque mentionem faciunt. Et Juvenal. *satyr.* 13. sæpè citatus, deduci in mare parricidam significat, dum ait:

Et deducendum corio bovis in mare.

Fiebat autem deductio, ut ex Adriani sententiis Cujacius *in parat. Cod. de his qui parent. & in oper. posthum* advertit, & nos *suprà hoc lib. cap.* 14. retulimus, imposito parricida cum culleo, & impiis animalibus, super plaustrum junctum nigris bobus. Quamvis Cicero *in orat. pro Rosc. & lib. 2. de invent.* in flumen, seu profluentem deturbari, & undis culleum vento inflatum impellentibus demum in mare deferri aperte significet, dum majores noluisse inquit parricidas *nudos in flumen dejici, ne cùm delati essent in mare, ipsum polluerent; quo cætera quæ violata sunt, expiari putantur.* Sed illud, ut constat, magis frequens, hoc rarum & fortè posterioribus temporibus antiquatum; neque enim sine causa scriptores omnes de deductione, & dejectione in mare conveniunt. Valeat ergo Accursius cum suis logomachiis, qui Modestinum *in d. l. pœna*: ubi Accurs. *& in dict. l. unic.* ideò de mari tantùm loqutum autumat, quòd ubi ille morabatur amnis non esset. Facessat iterum Accursius idem *suprà*, & qui eum sequuntur gravissimi viri, Forcatul. *dial.* 34. Covar. *in d. Clemen.* Plaz. *d. cap.* 22. mare in Modestini responso latè accipiendum esse tradentes, ita ut amnem, & quamcumque aliam aquarum congregationem comprehendam. Nam etsi hoc aliquando verum sit, ut admonet Servius in illud Virg. 1. *Æneid.*

Unde per ora novem vasto cum murmure montis,
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.

Et Turneb. *lib.* 10. *advers. cap.* 11. & latè probare conetur Covarr. *suprà*, post Forcat. mihi tamen apud Jurisconsultos hæ verborum translationes non placent, qui cùm jus omne, ut Quintilian. *lib.* 12. *inst. cap.* 3. ait: *Positum sit in verborum significatione, & interpretatione, aut æqui, pravique discrimine*, semper latini sermonis puritatem, & proprietatem usque ad miraculum, ut testatur Valla *in præfat. lib.* 3. *elegan.* retinuerunt, atque ita credendum non est, fluminis mentionem sine mysterio prætermisisse: Argum. *l. item apud* §. *ait prætor, ff. de injur.* & longè minùs sub maris nomine de amni quoque tractasse. Amnis etenim Constantiniana primùm sanctione *dict. l. unic.* ubi mare vicinum non esset, parricidas excipere cœpit, ut in illis verbis osteditur: *Et ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur.*

Quæ & Justinianus *d.* §. *alia deinde*, transcripsit, & Regia lex nostra *l.* 12. *tit.* 8. *p.* 7. ita Hispano sermone donavit: *E lo lancen en la mar, ó en el rio que estoviere mas cerca de aquel logar do acaeciere.* Antea namque si proximum mare non esset, bestiis objiciebantur; idque ex Divi Adriani permissione, ut Modestinus *d. l. pœn.* scribit ne cogerentur remotissimum interdum mare requirere. Quæ pœna levior culleo censeri non debet, quoniam, qui bestiis objiciebantur, miserandum in modum eis dilaniandi, & devorandi proponebantur, diverso ab eis supplicio, qui ad bestias damnati erant, quos tantùm cum illis dimicare cogebant, ut ex Jurisconsultorum, *l. ad bestias, l. aut damnum*, §. *quicumque*, *ff. de pœnis*; responsis Budæus *in dictis ll.* Rævardus 2. *var. cap.* 14. Petrus Faber 2. *sem. cap.* 7. & alii (quidquid Cujac. *lib.* 13. *observ. cap.* 10. nullum inter has pœnas discrimen agnoscat) observant. Sed & solebant etiam parricidæ aliquando, ut ex Paulo *d. lib.* 5. *sentent. tit.* 24. colligitur, vivi comburi. Erant enim hæc inter Romanos in delictis atrocioribus supplicia. Unde Tertulianus *lib. de anima, cap.* 15. *Si cæterorum scelerum mercedem cogitemus, patibula, culleos, vivi comburia, uncos, & scopulos.*

CAPUT XX.

Parricidas monstra quædam & portenta naturæ videri. Inde meritò novæ & inusitatæ pœna damnari. Elementa communia omnium esse. His tamen parricidam justè vivum adhuc privari. Ciceronis, Quintiliani, & Ovidii in hanc rem elegantissima verba. Debere pœnas delictis esse conformes. Petri Plazæ ratio quædam, ob quam parricidæ in mare jactentur, convicta & damnata.

MOnstrosos partus ex Romuli lege, (quam refert Balduin. *ad ll. Rom. cap.* 18. ex Dionys. Halicar. *lib.* 2. & Jacob Durant. *lib.* 1. *var. cap.* 3. ubi tradit, cur in mare jactarentur) cædi sine fraude potuisse, antiquitatis monumenta testantur, quid igitur mirum, si in parricidæ perniciem, hominem si non visu & vagitu novum, *l. non sunt liberi ff. de stat. hom.* at certè contra humanæ naturæ formam, & pietatis jura grassantem, tot supplicia prudentissima Romanorum respublica cogitaverit *Portentum est*, inquit Cicer. *de orat. pro Rosc. atque monstrum certissimum, esse aliquem humana specie, & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut eos vita privet, propter quos hanc suavissimam lucem adpoxerit.* Et Minos apud Ovid. *lib.* 8. *Metamorph.* Scyllam, quæ patrem Nisum prodiderat, & perdiderat, monstrum appellat:

Certè ego non patiar Jovis in cunabula Cretem,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Pereant igitur hujuscemodi monstra mons, trosè, & ut Constantinus *dict. l. unic.* ait neque gladio, neque ignibus, neque alii solemni pœnæ subjugentur, sed culleo feralibus angustiis inclusa, omnium elementorum ope viva carere incipiant, & eis cœlum superstitibus, mortuis terra negetur. Et qui naturalia omnia jura violarunt, omnibus naturæ beneficiis priventur. Sed quoniam Cicer. *d. orat. pro Rosc.* graphicè, ut solet alia, pœnam hanc, & ejus imponendæ rationem depingit, ipsius verba, quamvis vulgaria, absque piaculo omitti non possunt. *Insui* (inquit) *voluerunt in culleum vivos, atque ita in flumen dejici, ô singularem sapientiam! judices, nonne videntur hunc hominem ex rerum natura ius-*

tulisse, & eripuisse, cui repentè cœlum, solem, aquam, terramque ademerunt? ut qui eum necarset, unde ipse natus esset, careret his rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque quæ tantùm scelus attigissent, immanioribus uterentur: non sic nudos in flumen projicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam est commune, quam spiritus vivis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus ejectis? Ita vivunt dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant? ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur; ita postremò ejiciuntur, ut ne ad saxa mortui conquiescant. Hæc Cicero adolescens adhuc, magnis, ut ipse alibi *de oratore perfecto ante med.* ait, omnium clamoribus dixit: quæ licèt adolescentis appellet, non tam re, & maturitate, quàm spe & expectatione laudati, mihi suprà omnem laudem, & imitationem posita esse videntur. Quamvis nec contemnendus videatur Quintil. *in declam.* 299. qui Ciceronis sententiam, aliis verbis, sic extulit: *Tumulo tectus videretur, cui leges terram negant? cui statim ora, oculosque à judicio lex jussit obduci ne hunc jucundum cœli aspectum polluerent tetri oculi, cui lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto sepulcrum negat?* Sed & Ovid. *metam.* 8. ad eundem pœnam respiciens, item contra Syllam invehitur:

Dii te submoveant, ô nostri infamia sæcli,
Orbe tuo, tellurque ubi, ponturque negetur.

Nam etsi naturali jure, ut Consulti testantur *l.* 2. *de rerum divis.* §. *inst. eod.* communia omnium sint terra, aër, aqua profluens, mare, & per hoc litora maris, & ut Cicer. 1. *offic.* ait, ex præcepris naturalibus descendat, ne quis harum rerum usu impediatur, indèque publica munera ab Ovid. 6. *metam.* appellentur, dum Lucinam sic loquentem induxit:

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est,
Nec solem proprium, natura, nec aëra fecit
Nec tenues undas, ad publica munera veni.

Et quorumdam Imperator. immoderata cupiditas meritò à Cujac. *lib.* 10. *observ. cap.* 7. execretur, qui pro aëre, pro sole, & pro umbra, vectigalia à subditis exigebant. Attamen parricidæ beari naturæ muneribus non debuerunt, qui ipsam naturam adeò immani scelere violarunt. Ita advertit solus Monticulus *in d.* §. 1. *num.* 3. cùm non debeat quis eo jure uti, quod nisus extitit impugnare, *l. Papin.* §. *meminisse, de inoffic. test.* & ut sapienter Tullius *lib.* 3. *de legib.* scripsit, noxiæ parem esse pœnam oporteat, ut in suo quisque vitio plectatur, & vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia, & parentum, id est naturæ violatio naturalium omnium bonorum privatione sanciatur. Nimirum quia, ut rectè Philo Judæus *in tit. de præmiis & pœna*: cum Menoch. *q.* 90. *de arbitr. num.* 38. *Inepti sunt Nomothetæ, qui non aquas pro dignitate cujusq. flagitii animadversiones statuunt, qui vi pecuniam, vulneri infamiam, cædi exilium, furto vincula minitantur.* Quasi disparia illa dissentaneaque suppliciorum genera, benè moratæ atque institutæ civitati parùm conveniant, ut doctè Guill. Forner. *lib.* 1. *select. cap.* 15. advertit. Quo fit ut decumano errore lapsus videatur: Petr. Plaza *in epit. delict. cap.* 22. *num.* 8. qui dum pius nimio sibi sapere judicat, Ciceronis, quam scripsimus, ratione neglecta, aliam ex suo Marte commentus, autumat, parricidam ideò culleo involutum in mare deduci, ut ad rerum principia redeat, quæ patrem impia manu violare ausus est. Nempè quod aqua, ut ex Taletis Milesii sententia, Cicer. *lib.* 1. *de nat. Deor.* & Plut. *lib.* 2. *de placit. phil. c.* 3. Vitruv. *lib.* 2. *c.* 2. scripsere, rerum omnium principium sit; unde Ausonius *in sep. sap. ludo.*

Milesius Thales aquam qui principem
Rebus creandis dixit.

Tradit plura alia Tiraquel. *de nobil. cap.* 31. *num.* 586. Sed in hunc, ut in alios nostri juris auctores, equidem illud Terent, *in proœmio Andriæ*, existimo convenire:

Faciunt intelligendo, ut nihil intelligant.

Nam, ut aliquid ejus rarìo concluderet, illud potius esse debebat, privari parricidas aquæ rerum omnium principio, quod ipsi, genitores à quibus vivendi initium accepissent, inmaniter interfecerint.

CAPUT XXI.

Parricidas, ut Cicero ait, ideò nudos in mare non dejici, ne ipsum, quo reliqua expiari solent, polluerent. Ratio hæc difficilis reddita. Nec à Callo Rhodigino aut aliis satis percepta. Aquæ fluviali leviora, graviora crimina mari expiari solere latè probatum. Aquæ benedictæ apud nos in templorum ostiis origo. De expiationibus veterum plura. Parricidii crimen nullam apud Gentiles expiationem admisisse. Hoc cum illustriss. Cardin. Baronio defensum, & necessariis argumentis evictum.

ILlud planè mirùm videri potest, quod in superiori capite ex Cicerone retulimus, noluisse parricidas nudos in flumen projicere, ne, cùm delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Nam ut à justis, vel coactis cædibus, aliisque levioribus peccatis, & sordibus fluvialibus, lustralibúsque aquis purgatio, & expiatio fieri solebat, ut latè Macrobius *lib.* 3. *saturn. cap.* 1. adnotavit, & ex Suida, & aliis ostendit Tiraquel. *de nobil. cap.* 31. *ex num.* 558. & Petrus Greg. *lib.* 36. *Syntag. cap.* 21.

in

in princ. & ex Virgilio 2. *Æneid.* constat, apud quem Æneas violatum cùm se nosset, & multa cæde polutum, sic ait:

Tu Genitor cape sacra manu, patriósque penates
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Et alibi 6. *Æneid.* (quem ex hoc ritu explicat Turneb. *lib.* 11. *advers. cap.* 21.)

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Et ex Ovid. 2. *Fastor.* qui ad hoc etiam alludit in Fastis:

Heu nimium faciles, qui tristia crimina cædis,
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Quem ritum etiam in veteri lege fuisse usitatum ex Numeris *cap.* 19. constat: *Et non est aqua lustrationis adspersus.* Exque eo, ut doctissimi viri tradunt: Joan. Steph. Durant. *lib.* 1. *de ritib. Eccles. cap.* 21. Tiraq. *suprà*, sancta Ecclesia aquæ benedictæ, quâ à venialibus saltem admissis purificamur, piissimum morem mutuata videtur, & in ostiis templorum vasa eam habentia collocari constituit. Quod & olim fieri solitum, ex Hippocrate *in lib. de morbo sacro*, colligitur. & ex D. Isidoro *lib.* 15. *etym. c.* 14. dum ait: *Delubrum veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum deluebantur, & appellata delubra à deluendo.* Ita marinis aquis, omnium scelerum purgatio, & purificatio fieri credebatur.

Unde apud Euripidem *in Taur.* Iphigenia Orestem materna cæde pollutum, aqua marina lustrare, atque expiare vult, hanc addens sententiam:

Cuncta mortalium mala prorsus abluit mare.

Et Aristophanis, atque Homeri interpretes passim hujus moris, ut Cælius *lib.* 11. *antiq. lect. cap.* 22. (Vide adagium mare proluit omnia mortalium mala) retulit, meminerunt tradentes, *mari solere expiari pollutos.* Et verò inter varias expiationum formas, quas Græci, & Romani usurpabant, & novissimè Antonius Clarus Sylvius *in ll.* 12. *tab. cap.* 14. & melius Jacob. Durant. Casell. *lib.* 2. *obser. cap.* 1. & 2. & *lib.* 1. *cap.* 3. latè prosequuntur, nulla frequentior, aut Diis gratior, quàm ea, quæ per mare fiebat, reperiebatur. Quam ob causam *mare expiatorium* appellat Eustathius *ad Homer. Iliad. A*, illud in quod Græci, Agamenonis jussu, pestis purgamenta jecerunt. Unde Lactantius *lib.* 5. *divin. inst. cap.* 20. *Et se plè* (inquit) *sacrificasse opinantur, si cutem laverint, tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.* Sed & solebat in piacularem quamdam hostiam, omne malum à muliere, quæ *Expiatrix sacerdos*, ut Festus scribit *de verb. sign. lib.* 14. *in Piatrix*, dicebatur concipi, & vel tota, vel priùs igne combusta, ejus cineres in mare projici, ut nihil ex invisa hostia superesset, & unius corporis vice omnium expiatio peragereturr. Quod ex Lycophrone, & allis elegantissimè Joanes Zetzes *hist.* 23. *chiliad.* 5. enartat, cujus verba doctissimus Franciscus Sanctius Brocensis *paradoxe.* 1. vir Græcè, & Latinè impensè doctus, & ingenti hujus Academiæ Salmant. clade, nobis ereptus, jam pridem Latina reddidit, ex eis, quid hæc vox *Anathema significet*, explicare contendens. Quæ cùm ita se habeant, meritò Ciceronis locus ambiguus à Cælio *dict. c.* 22. reputatur, & in quo non pauci sint frontem corrigaturi. Qui tumen licèt de expiationis ritu nonnulla retulerit, non tamen usquequaque difficultatem explicuisse mihi videtur; cùm adhuc magis dubitare quis possit, cur cùm omnia crimina mare purgaret, parricidæ tamen contactu ipsum pollui scripserit Cicero. Quare existimo summum illum eloquentiæ parentem, luculenta illa hyperbole detestandum parricidii crimen detestabilius reddere voluisse, quod mare potiùs polluere, quàm marinis fluctibus elui posset; & suprà omnem expiationem esse videtur, non secus ac Carullus *epig.* 75. ad Gellium de prophano quodam & incesto, simili loquendi genere usus scribit:

Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum,
Ecquid scit, quantum suspiciat scelcris?
Suscepit ô Gelli, quantum non ultima Tethys,
Nec genitor, Nympharum abluit Oceanus.

Et Seneca Tragœdus, apud quem Hippolitus à noverca flagitatus ad incestum, sic exclamat:

Quis eluet me Tanais, aut quæ barbaris
Maoris undis pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiari scelerit.

Aut certè citra hyperbolem ostendisse, tantam esse hujus facinoris diritatem, ut licèt cætera crimina mari expiari solerent, ipsum tamen reverà nullam purgationem admitteret. Nam etsi legamus Herculem post interfectos à se filios sacris Eleusinæ Cereris expiatum, quibus Græci ut Sozomenus *lib. hist. Eccles. cap.* 5. refert nihil non lustrabile crediderunt; id tamen non omninò verum videtur, cùm ex Julio Hygino *fab. cap.* 31. & 32. contrarium appareat; & ut in Hercule reciperetur; qui furore correptus immissa in eum à Junone insania, nesciens illud facinus perpetravit, qui tamen sciens & volens parricidium commisisset, omni expiatione caruisse, ut Cicero innuit, dicendus est. Quod & ex Sueton. corroboro, qui ita habet in Nerone *cap.* 34. *Sæpè confessus agitari se materna specie verberibus furiarum, ac tædis ardentibus; quin & facto per Magos sacro evocare manes, & exorare tentavit: Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & sceterati voce præconis submoverentur, interesse non ausus est.* Quæ cùm dicat Sueton. planè significatur, nullas fuisse penes Gentiles expiationes, quibus haud dubiè, ut ea quæ patiebatur à se averteret Nero, non caruisset. Sed & hoc magis apertum redditur, ex eo, quod de Constantino Imperatore, *infrà lib.* 2. *cap.* 11. trademus, qui cùm ad commissi parricidii scelus expurgandum remedium quæreret, tandem à Sopatro Platonico Philosopho, & aliis accepit, nullam reliquam esse tanti facinoris expiationem, atque ita paulò post, veræ religionis initiis, & lustrali Baptismate, ut Zozimus *hist. lib.* 2. commemorat, expiatus est. Et ut magis nostra nobis constet oratio, hæc opinio satis supradictis testimoniis probata, censeri debet utique probabilior, quòd placuerit etiam Illustriss. & Reverendissim. Cardinal. Baronio *tom.* 3. *annal. ann. Christi* 324. viro & eruditionis & pietatis ergo admirando, cujus hæc sola laus esse potest, quod omni laudatione major esse videatur. Neque adversatur quod Trozenii, ut Pausanias *in Corinthiacis lib.* 2. refert Orestem à cæde matris expiaverunt, & piacula non longè à lapide, in quo purgatio facta est, defoderunt, quo in loco laurum quamdam enatam tradit, quæ adhuc vires conspicitur: Constat namque, hanc expiationem nihil fuisse, cùm Orestes non ideò minus post illam furiis, & spectris fuerit agitatus, quousque in Aræopago Deorum sententiis, ut inferiùs commodius dicetur *lib.* 2. *cap.* 18. fuit absolutus. Accedit his, Ixionem (ut fabulæ narrant) ob socerum fraude peremptum, nunquam à Diis, vel ab hominibus lustrationem impetrare potuisse, quousque cùm diu incertus vagaretur, Jupiter illius misertus, in cœlum assumptum, expiavit.

CAPUT XXII.

Sepulturam parricidæ negari multis, & juris & bonarum literarum argumentis, & exemplis ostenditur. Sepulturam humanitatis ratione hominibus debitam, sæpè ob criminum atrocitatem prohibitam. Hanc pœnam gravissimam judicari. Plura de sepultura honore & cura. Hanc etiam in animalibus reperiri. Pius Melchiadis in patrem affectus. Qui olim more majorum sepultura interdicti. Parricidas cùm parentes occidant, jure terra omnium matre privari.

AQua igitur, & cœlo privabatur parricida. Cœlum cùm dicimus, aërem intelligimus, quem cœli nomine sæpe signari apertius est, quàm ut nostra indigeat adprobatione; præsertim cùm latè Brissonius, Pratejus, Hotom. & Scardus *de verb. jur. in cœlum*, præstiterint, & notaverit Servius in illud Virg. 1. *Georg.*

Et varium cœli prædicere morem.

Et ex adductis Cicer. *in d. orat. pro Rosc.* & Justiniani *in d. §. alia deinde*, testimoniis, in quibus aëris, cœli, & spiritus promiscua est appellatio, manifestè probetur. Sed neque minus terra interdicti videntur: quam neque vivi tangere, nec mortui ad sepulturam possunt. *Terra enim* (ut Apollonius apud Philo, *lib.* 1. *cap.* 12. ait) *communis omnium mater est, propterea quod justa*; unde merito impiis, & injustis hominibus denegatur. Constant. *in d. l. unic.* & Justin. *supr. ibi: terra mortuo auferatur*; & ut ait Cicer. *ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant.* Quamobrem verissimum censeo commune omnium Doctorum judicium, qui parricidarum cadavera sepulturæ tradenda non esse docuerunt: Baldus & Salicet. *d. l. unic.* Covarr. *d. Clem. num.* 12. Greg. *in d. l.* 12. *verb. en la mar*: Carret. *in praxi, §. homic. n.* 147. Anton. Gom. 3. *tom. c.* 3. *n.* 3. Plaz. *d. c.* 22. *n.* 9. Jacob. Durant. Casellius, *lib.* 2. *obser. cap.* 3. neque minus veram Joan. Baptistæ Asinii *in l. quod si nulla, n.* 10. *de relig.* & Jacob. Menoch. *de arbitr. cas.* 387. *numer.* 30. sententiam, qui parricidæ sepulturam, absque pœna legibus præfinita, *l. fin. de sepulc. viol.* impediri, & violari posse, testantur. Nam ut rectè Quintil. *decl.* 299.

Tumulo tectus videretur, cui leges terram negant?

Cuique ipsa omnium parens terra, ut parentum occisori reluctari censetur? Quod & Græco quodam in matris occisorem epigrammate quod Latinum, fecit Covarr. *ubi supr.* his verbis ostenditur:

Ne repelias hoc cadaver, tit enim cibus & rapinæ canibus,
Nam omnium mater terra, non recipit matricidam.

Et exemplo non caret. Nam ut refert Agathias *lib.* 2. cùm Damascius, Syrius, Simplicius, & alii docti viri convenissent, ut in Persiam ad videndum Cosroem Regem una abirent, in reditu inhumatum cadaver in agro invenerunt; quod cum inhumanitatem Persarum detestati, sepulturæ mandassent. Noctu unus ex eo comitatu, obversari sibi senis & venerandi hominis speciem vidit, dicentis: Noli inhumatum corpus humare, permitte canibus lacerandum, terra, universorum mater, matris corruptorem hominem non recipit. Ille expergefactus allis somnium exposuit, & mane regressi in illum agrum, corpus nudum viderunt in campi superficie jacere.

Accedit his, quòd licèt sepultura humanitatis ratione, naturali & divino jure etiam hostibus debeatur, ut ex Sophocle, Aristot. & Dione Chrysostomo eruditè admodum Petrus Faber. *lib.* 2. *semest. cap.* 1. & *lib.* 3. *c.* 13. scripsit; unde Vibulenus quidam Gregarius miles ad Blæsum, qui fratrem ejus jugulaverat; ita apud Tacitum *lib.* 1. *ann.* inquit: *Responde Blæse, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturam invident.* At ubi propter alicujus maleficii acerbitatem augeri pœnam oportet, & reliquis terrorem injicere, punitorum cadavera, justè, ut Covarr. *lib.* 2. *var. cap.* 1. *n.* 11. Menoch. *ubi supr. n.* 32. Guillel. Bened. *in cap. Raim. verb. mortuo, el* 1. notant, inhumata relinqui

qui possunt. Quinimò ex Romanorum more id fuit, ut hostes publicos, aut qui hostium loco essent, ut putà proscriptos, perduelles, suspendiosos, aliósque facinorosos homines, quorum pœna ad exemplum aliorum pertinebat, aliis suppliciis affectas, honore sepulturæ, luctuque adfinium prohiberent, ideoque in Gemoniis gradibus abjectos unco in Tyberim traherent, ut Justus Lipsius in illud Taciti notat *in Tacit. 6. annal. & Quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur*: ubi etiam Jacob. Durant. *lib. 1. var. c.3.* & ex Suetonio *in Tiber. cap.16.* colligitur: *interdictum* (inquit) *ne capite damnatos propinqui lugerent. Nemo punitorum non in Gemonias abjectus, uncoque tractus.* Et ex Ulpiani, *in l. liberorum* 10. *§. non solent de his qui not. inf.* & Marcelli responsis *in l. minim. 35. de relig.* cum Dur. Casell. *d. lib. 2. cap. 3.* quibus non solere lugeri traditur, *Hostes, vel perduellionis damnatos, nec suspendiosos, nec qui contra parentes venerint, vel manus sibi intulerint, non tædio vitæ, sed mala conscientia.* Unde, *aliquis* (inquit Quintil. *declam. 337.*) *metu judicii mori vult, dignus est qui insepultus abjiciatur. Aliquis conscientia turpis alicujus flagitii admissi priùs quàm prodatur, mori vult: dignus est qui insepultus abjiciatur.* Et Posth. Junior declam. 5. *Equidem judices, ut sentio, neminem mortalium favere hominis sepulturæ non convenit, quia una res est, cùm exemplum ad omnes pertineat: ideòque non nisi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem.* Quò etiam respiciens Egesippus *lib. 3. cap.* 17. rationem hujus rei reddit, quæ maximè superioribus convenit, *quia dignum est* (ait) *ut qui patris imperium non expectaverunt, priventur quasi matris gremio terræ sepulchro.* Neque putaverit quispiam hoc, quod ultimo loco in parricidæ pœnam inductum tradidimus, ut sepulturæ honore privetur, parum severitatis habere: nam etsi Diogenes Cynicus sepulturæ curam Theonino dente momorderit, ut Laer. *in vita Diog.* & Ælian. *var. hist. lib. 7. cap.* 14. scribunt, & sint nonnulli, quos nec suppliciorum tormenta moveant, nec mortis ignominiosæ infamia, vel funeris privatio tangat; tamen, ut ait Tertull. *lib. de testim. anim. Omnibus ferè ingenita est famæ post mortem cupido.* Et rectè Plinius *in proœm lib. 7.* inter reliqua quæ natura ipsa, hominibus insita tradit, sepulturæ curam connumerat. Et Pompon. Jurisconsultus, *in l. quod si nulla 28. ff. de religios. Injuria virum videri affici* (ait) *si ejus uxor maneat insepulta.* Et jure optimo laudatur à Modestino *in l. quidam in suo ff. d. cond. instit.* hæres, qui testatoris, quantumvis id testamento jubentis, reliquias in mare non projecit, sed in memoriam humanæ conditionis sepelivit. Unde Athenienses de sepultura, ut Diod. *lib.* 11. refert, priùs quàm pugnam capesserent cogitabant. Apud quos etiam summis, ut Valerius Maximus *lib. 5. c. 3.* & Æmil. Prob. *in vit. ejusdem Cymonis*: ubi alia refert de eximia ejus pietate, docet, laudibus Cymon celebratus fuit, qui, ut patèt Melchiades in carcere mortuus, sepeliretur, voluntariis se vinculis mancipavit. Neque aliorsum Asychis Ægypti Rex legem promulgavit, ne alitet pecuniam sumere mutuam liceret, quàm si debitores patrum cadavera pignori obligarent. Eadem lege cavens, ut si debitor æri alieno non satisfaceret, fas non esset eum sepeliri, neque in paterno, neque in ullo alio sepulchro, ut ex Herodoto & Diod. *lib. 2.* Annæus Robertus *lib. 2. rerum judic. cap. 6.* recenset, & Petrus Gregorius *in prælud. jur. civil. lib. 2. cap.* 44. & Mantua *in Enchirid. c. 226.* plura alia in eamdem rem diligentissimè & non immeritò formicarum pietatem commendans, quæ velut istius juris participes sese, ut Plin. *lib. 11. c.* 30. & Plutarc. *in lib. utr. anim. plus rat. hab.* & Ælian. *de Delphinib. lib. 12. de anim. c. 6.* referunt, inter se sepeliunt mortuas, quæ vel solæ ad suadendam humationis curam sufficere queunt. Quam naturali affectu, & humanitatis instinctu, non solum erga nosmetipsos optare, sed & ignoris etiam hominibus cognatione, quam internos natura instituit, ut Florentinus *in l. ut vim, de just. & jur.* ait, ad id impellente, terram sepeliendi causa injicere, eleganter Quintilianus *decl. 5.* sic inquiens admonuit. *Hinc & ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus: & inseptum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocumque veneretur aggestu.* Et *declam. 6. Cadaver* (inquit) *ab incursu avium, ferarumque tantum miserantium corona custodit. Convenerunt etiam alieni plorantes, totus in spectaculum populus effusus est: & ignoto quoque corpori publica humanitas quasi quasdam fecit exequias.* Quò etiam spectat illud Petronii *in satyr.* ubi idem humanitatis vocabulum de sepultura loquens usurpavit. *Vel si voluerit misericors ad idem litus expellere, aut prætereuntis aliquis tranlatitia humanitate lapidavit, aut quod ultimum est, iratis etiam fluctibus misericors arena componet.* Et elegantissima verba Casiodori, lib. 2. epist. 22. *Insatiabilis quippè fletus est, qui humanis non sinitur corporibus interesse, dum semper se reum judicat, qui cineribus justa non præstat.* Et paulo post, *dicendum est, quod hoc ipso admoneor exemplo in honorem pietatis etiam damnati sepeliuntur.* Quibus omnibus privati parricidæ, ita culleo insuti jactantur, ut neque inveniant litus ejecti, neque ad saxa quidem mortui conquiescant, & ut Cicero *2. de Il.* dixit, *Non solum vita cruciati atque dedecore, verùm sepultura, & justis exequiarum careant*: atque adeo perpetua quodammodo requie priventur, quam nunquam consequi insepultos, Romani putabant. Vide Virg. *6. Æneid.* Tertul. *de anim.* & Jacobum Durant. Casel. *2. var. cap. 2. in fin. & cap. 3.* ubi plura eleganter tradit de his quibus sepultura prohibebatur.

CA-

CAPUT XXIII.

Cullei & serpentium pœna an hodierno die parricidis irrogetur. Quid apud alios, quid apud nos in hoc supplicio vel legibus, vel moribus immutatum sit. Pontificio jure clericos parricidas perpetuo carceri traditos; laicos aliis pœnis affectos. De carceris perpetui pœna, nonnulla.

SEd quoniam tempus, ut in aliis, ita & in legibus, & in eis præcipuè, quæ ad maleficiorum punitionem spectant, plurimum potest: Videndum est nunc, an & quatenus hodierna praxis hanc cullei pœnam, & (quam laboriosa adeò, & ni fallor non inepta commentatione exposuimus) usu recipiat: Nam oportet, ut de Aristone dicebat Plinius *lib. 8. epist.* juxta expositionem quam contra Cujac. tradit Robert. *lib. 3. animad. cap. 22. Sic antiqua jura ut recentia, sic rara ut assidua tractare.* Quoniam ut Justinianus Imperator *in prin. Inst. de satisd.* ait: *Omnia apertius à quotidiano judiciorum usu ipsis rerum documentis apparent.* Et in supplicils irrogandis cùm omnia ferè sibi judices tribuant, & non tam ex legum præscripto, quàm ex propriis animi motibus, & arbitriis procedant, (Pœnas autem omnes hodie arbitrarias esse, tradit Alciatus *in l. potestatis de verb. sig.* Menoch. *de arbitr. quæst. 14.* & alibi passim. Vicent. Cabotius *lib. 2. variar. cap. 6.*) me Herculè, ut Quintilianus *lib. 12. cap. 6.* quem & alia in hanc rem refert Pinel. *in 2. part. l. 2. de rescind. cap. 4. num. 2.* inquit, *Quamtumlibet secreta studia contulerint, est tamen alia fori lux, alia veri facies; plusque si separes, usus sine doctrina, quàm citra usum doctrina valebit.* Et quidem antiquam hanc parricidii pœnam ab aula recessisse, Salic. & Baldus *in d. l. unic. C. de his qui parent.* seriò affirmarunt, quorum illè, decapitatos sepultura privari: hic, canibus comedendos abjici eos docet qui parricidii scelus admiserint. Nec dissentiunt Anania *in cap. 1. de his qui liber.* & Ludovicus Carrerius, *in prax. §. homicid. ver. 9. num. 36.* qui cullei pœnam nusquam se vidisse fatentur. Et Petrus Gregorius *d. lib. 36. Syntag. cap. 24. num. fin.* Oinot. *d. §. alia numer. 8.* Tholosæ quidem, & alibi in Gallia, & Germania hujus criminis reos, vel securi percuti, vel furca suspendi asserunt, nec se arbitrari cullei supplicium hodie usquam terrarum praxi servari. Thomas quoque Grammaticus, *ad Constit. fol. 121. col. 1. num. 10.* idem Neapolitano in regno usu recipi, tradit: & Julius Clarus *lib. 5. recept. §. parr. num. 5.* relatis pluribus qui antiquam pœnam abolitam esse docuerunt, scribit, apud Mediolanenses, parricidas ordinariam homicidii pœnam juxta delinquentis qualitatem subire & alios in furcam agi, alios jugulo feriri, & trahi ad equi caudam alligatos, tolere, numquam tamen Ecclesiastica sepultura privari. Alii (Tib. Dec. *in criminal. lib. 9. c. 16. ex n. 18.*) alia tradunt. Sed nimirum suus cuique nedum nationi verùm & homini mos est, nec voto, ut dixit Persius *satyr. 5.* vivitur uno. Nos nostræ Hispaniæ praxim subdemus, ne cuiquam fortè supradicti auctores imponant, qui apud nos parricidas canibus laniandos dari scripserunt, laudato in eam rem Petro Plaza *in epist. del. cap. 22. num. 8.* Hispano juris doctore, qui tamen si attentè legatur nihil tale commentus reperiretur. Apud nos igitur septempartiris legibus (quas, ut Cicero *lib. 1. de orat.* eas, quæ in duodecim tabulas à Decem viris relatæ sunt, fontes legum bibliothecas omnium Philosophorum, & Themidos ipsius vera responsa, fremant omnes licet, possumus appellare) Constantiniana sanctio *in d. l. unic. Cod. de his qui parent*, ad verbum transcripta, *in d. l. 12. tit. 8. partit. 7.* quotidiana (heu dolor!) praxi observatur, ut & experientia dicimus, & Gregorius Lopez, *in d. l. par.* Antonius Gomezius, *tom. 3. c. 3 num. 3.* Petrus Plaza, *d. c. 22.* & D. Joannes Vela (vir apprimè doctus, & immaturo fato nobis ereptus) *de pœnis delict. cap. 27.* scriptum relinquere. Quod & Julius Clarus *suprà* se dum in Hispania esset, vidisse fatetur, ea tamen adhibita differentia (quam dicti quoque auctores observant) quòd parricidæ, priùs quàm culleo insuantur cervices laqueo franguntur. Rarò enim in Hispania mortis supplicia, quæ longis eruciatibus, & morosis dolotibus vitam adimunt, inponuntur: ne reis, quibus eo in casu mors (ut alias Impp. *in l. quisquis, C. ad legem Jul. majest.* dixerunt) *Solatium esset & vitæ supplicium*, impium aliquid in Deum effundendi, aut etiam desperandi occasio præbeatur. Nam ut ait Senec. *lib. 2. de benef. Atrocissima crudelitas est, quæ trahit pœnam: Et misericordiæ genus est citò occidere, quia tormentum ultimum finem sui secum affert, quod antecedit tempus maxima venturi supplicii pars est.* Quod intelligens Tiberius, ut Suet. inquit *c. 61. Mori volentibus vim adhibebat vivendi, nam mortem leve supplicium putabat, & precanti cuidam pœnæ maturitatem respondit: nondum tecum in gratiam redii.* Unde suffocati priùs, ignibus dari, sagittis impeti, in frusta secari, culleo insui, aut similes alias pœnas, quæ in aliorum terrorem constituuntur, perpeti solent, ut & notant Doctores, & nostrarum legum verbis exprimitur: Greg. Lopez *sup. verb. en la mari. lex. 10. tit. 21. lib. 8. recopil. 45. tit. 23. lib. 8. recop.* vide aliqua apud Petrum Fabr. *lib. 3. semest. cap. 8. in princip.* Verùm licèt hoc nullus ex supradictis advertat, arbitror in eo etiam juris communis pœnam usu hodierno immutatam, quòd parricidæ non culleo, sed dollo frequentius cluduntur: Et quidquid nostra lex priùs eos verberari debere illis verbis exprimant. *Que este atal que fizo esta enemiga, que sea azotado publicamente ante todos*, adhuc tamen verberibus neutiquam afficiuntur. Sed neque sepultura privantur, nam licèt ut legis forma servetur, deturbari in flumina, inibique, usque ad primam noctis vigiliam relinqui soleant: postea

tamen, vel à cognatis, vel à Libitinariis, quibus sepelire punitorum cadavera curæ est, Ecclesiastica sepultura donantur. Quod licèt contra leges ut diximus sit, judices tamen conniventibus oculis pati, & usu etiam in impios receptam pietatem impedire non debent. Nam ut optimè quodam loco Ambrosius *lib. 1. offic. cap. 28.* scribit: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia relaxata sunt, nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est.*

Jure autem canonico clericus hujus criminis reus deponi debet, & depositus in perpetuum carcerem trudi, secularis curiæ traditione cessante, ut contra plures, Marian. Socin. *in cap. 1. de his qui lib.* Bernard. Diez, *in prax. cap. 96.* Plaza *d. cap. 22. n. 43.* Vel. *d. c. 27. n. 10. libr. 7. crimin. cap. 6. num. 19.* qui etiam degradandos ait, resolvunt. Nam & si civiles leges carceris pœnam nequaquam admiserint, *l. incredibile, C. de pœnis, leg. mandatis, ff. eod. leg. 2. C. de exact. lib. 12.* quia Ulpian. teste, *in l. 8. §. solent. ff. de pœnis* (vide quæ tradit de interdictis pœnis Cujac. *lib. 34. obs. c. 14. & de hac carceris histor. fori Rom. lib. 5. c. 14.*) *Carcer non ad puniendos, sed ad continendos homines haberi debet.* Pontifices tamen, dum pudori, & verecundiæ clericorum prospiciunt, & eorum delicta puniri potiùs volunt, quàm publicari, hoc supplicii genus, ut latè Bartol. *in l. imperium, num. 8. de juris. omnium jud.* Menoch. *de arb. quæst. 89. & cas. 305.* Simanc. *in catol. inst. tit. 17.* & Gometius *tom. 3. c. 9. num. 6.* animadvertunt, frequenter usurpant. Quod non est cur alicui leve videatur. Quid est enim gravius, quàm esse inter homines, & hominum carere consortio? Et ita vivere, ut liberi spiritus fruendi facultas non sit? & in mala mansione (ita enim carcer, ut Fornerius *lib. 2. select. capit. 1. videl. hi qui. 4. C. de apostat.* ostendit, interdum dicitur) vitæ exitum expectare. Laici quoque secundùm Pontificias sanctiones, parricidii crimen in foro pœnitentiali, carceris tædio, & aliis modis luere solent, qui latè in ipsis constitutionibus recensentur, *tex. in c. 1. & 2. de his qui lib. occid. in c. latorem, 33. quæst. 2.* sanguinis enim pœna pro nullo crimine Jure Canonico infligitur, ut jam pridem Ludovicus Romanus *singul. 688.* admonuit. Neque carceris pœna mitior illa videtur, nam ut eleganter, Magnus Aurelius Cassiodorus *lib. 11. variar. in form. indult.* scribit. *Carcer est cella gemituum, tristitiæ domus, apud superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte cæcatus; in quo non unum tormentum sustinet reus, qui antequam incurrat necis exitus à superis probatur abscisus. Primum fœdor illic collega catenarum, abominabili mœrore discruciat: auditum alieni gemitus & lamenta conturbant: gustum jejunia longa debilitant: tactum pondera prementia defatigant: lumina diutius tenebris obtusa torpescunt. Non est unum clausis exitium, multifaria morte perimitur, qui carceris squallore torquetur.* Unde non injustè Imperatores Theodosius, & Honorius Augusti *in l. omnes, 23. Cod. de pœn.* in exilium damnatos, si carceris custodia exilii metas implesse deprehensi fuerint, non esse ampliùs in exilium ire cogendos scribunt. *Sit enim satis* (inquiunt) *immensorum cruciatuum semel luisse supplicia, nec qui diù privati sunt auræ communis haustu, & lucis aspectu, non intra breve spatium catenarum ponderibus prægravati, etiam exilii pœnam sustinere iterum compellantur.* Et Modestinus Juris consultus, *l. si diutino 25. ff. de pœnis* hoc idem ob oculos habens, aliquatenus ejus pœnam sublevandam admonet, qui diutino tempore in reatu fuerit, id est in carcere, & misero, tristique, ac lugubri reorum statu, ut Duaren. *1. disp. c. 19.* Alciatus, *2. parerg. cap. 10.* Ferrandus *1. expl. c. 49.* Joannes Corrasius, *lib. 2. misc. c. 20.* Rainaldus, Corsus & alii *lib. 1. indag. cap. 19.* Eduar. Caldeira *lib. 3. var. cap. 2.* interpretantur, non ut Accursius *in tad. l. si diutino*: ubi omnes Decius *cons. 535.* M. Mant. *in Glossar. 1. part. cap. 33.* & alii ex antiquioribus minùs rectè putarunt, qui aliquibus retro temporibus delictum commisisse reperti fuerint. Quis enim eorum non miserearur, quibus ex vinculis causam dicentibus incertus judicii eventus assiduum tremorem, & legitimum sæpe metum incussit? *Video* (inquit Calpurnius Flaccus *declam. 4.*) *carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt, & quoties jacentes ferrati portis stridor excitat exanimantur, & alienum supplicium aspectando suum discunt.* Sed ut filum sermonis nostri repetamus, Pontificum quoque jure *c. 1. & sequen. de his qui lib. occid. c. latorem, 33. quæst. 2.* (vide Bernar. Diez *in prax. cap. 99.*) tam filiis qui parentibus, quàm parentibus qui filiis necem intulerint, salutares aliæ pœnitentiæ imponuntur, quæ ex ipsis decretis facilè colligi possunt.

LIBER SECUNDUS.

DE PERSONIS, QUÆ PARRICIDII tenentur, & cullei supplicio plectuntur.

CAPUT PRIMUM.

Dicendorum ordo proponitur. Humaniores literas ad juris studium vehementer conducere demonstratur. Parricidii eos primo loco teneri, qui parentum fata properaverint. Properare fata quid sit. Justinianus expositus, & ex melioribus codicibus emendatus. Liberorum, ut & parentum appellationem latè patere. Modestinus, & Paulus, qui contrarium suadere videntur, vera interpretatione donati. Hominum vitam brevissimam esse.

EXposui superiori libro, qua potui maxima diligentia, quæ in parricidarum supplicio, ut in Sileno quodam Alcibiadis, latebant mysteria; & rem ab omnibus tere neglectam, & à paucis, aut à nemine (quod præfiscinè dixerim) intellectam, ex ignorantiæ tenebris & (ut ita loquar) mancipio, & captivitate, in lucem asserui, & quodam veluti postliminio in pristinum honorem, & dignitatem restitui. Nunc autem cum novus nos, erga personas, quibus hoc supplicium irrogandum est, labor maneat: Et tot hujus (ut ita dixerim) Hidræ capitibus amputatis, alia subinde nascantur, & pullulent; ingenuè (ut Titi Livii *initio decad. 4.* verba detorqueam) illud mihi accidisse fateor, *quod is qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur; quidquid enim progredior, in vastiorem me altitudinem invehi video, & crescere pene opus, quod prima quæque perficiendo minuì videbatur.* Sed pergam nihilominus, nec terga vertam, & annuente Deo, quod restat iter, invium licèt, & nullius antea tritum pede, conficiam: multis, ut hucusque fecimus, Jurisconsultorum, & bonorum auctorum locis, sicubi tractationis ordo poposcerit, in medium adductis. Sycophantis enim istis laqueum mandamus, qui ubi non omnia Bartolos, Baldos, & similes personant, aut ubi aliquem bonis literis tinctum conspiciunt, illico rident, & respuunt, & ad Grammaticorum pulpita relegandum dijudicant; quasi non liceat, mansuetiores musas severioribus copulare, & ex illarum viridariis, & hortulis flosculos aliquando decerpere, quibus possimus nostri juris responsa condecorare. Sed verò altas habet hoc malum radices, & quas evellere mearum virium non sit, cùm id nec robustissimi quidem Milones, licèt in eo oppidò desudaverint, præstare potuerint, Erasm. *apoph. 42. lib. 8.* Alex. ab Alex. *3. genial. c. 14.* Duar. *in orat. de disc. docendoque jure*, Pet. Fab. *2. sem. cap. 2.* Nam ut rectè Sidonius Apoll. *lib. 7. epist. 13. Idiotarum est, sicut facilè convinci, ita difficilè compesci*: Et non minus rectè Terentius *in Adelph.*

Homine imperito nihil quidquam injustiùs,
Qui, niti quod ipse facit, nihil rectum putat.

Ergo, ut his relictis (ne videar Andabatarum morem aerem ferire, aut cum larvis luctari) operi manum admoveam parricidii pœna, ut & leges & ipsum delicti nomen ostendunt, liberis primo loco infligenda est, qui impia manu parentum fata properaverint, ita enim apud Constant. *d. l. unic.* & Justin. *d. §. alia deinde*, legendum est, ut docti viri jam observarunt, non ut vulgati habent codices *præparaverint*: Cujac. *in notis posterior. ad d. §. alia.* Nam ut tam doctè, quàm piè advertit Balduinus *d. §. alia*, etsi quod attinet ad superiorem illam Dei Opt. Maxim. providentiam certos esse vitæ nostræ terminos & fines sclamus, quos ultra, citraque mors, vel vita consistere nequeat, habita tamen inferiorum causarum ratione, non ineleganter fata alicujus properari dicuntur; quin potius eo loquendi genere sæpè gravissimos auctores usos invenio. Sic enim Vopiscus *in Probo, fatalem* (inquit) *properavit necessitatem*, Et Seneca tragædiographus, *in Hercul. furente. Quid juvat durum properare fatum?* Et Petronius, *in satyrico, Ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape*, pro eo quod est, ut Ovidii *1. metamorph.* verbis rem explicem, *ante diem in paternos annos inquirere*: Sicut contradixit Maro, *Depositi proferre fata parentis.* Liberos autem, & parentes cùm dicimus, sursum ac deorsum ascendentes & descendentes omnes, sive paternæ, sive maternæ lineæ, comprehendimus. Latè quippè hæc nomina tum alibi in jure, *l. appellatione parentis, l. liberorum de verb. sig. l. sed si §. liberos de in jus vocan. cum aliis*, tum etiam in hac nostra tractatione accipiuntur; atque adeò quicumque liberi, quocumque gradu positi aliquem ex ascendentibus interfecerint, hoc cullei supplicio tamquam parricidii rei, ut cum Accurs. *in l. 1. & in l. pœna, ff. ad l.* Pomp. *de parric. & in l. un. C. eod.* ubi Azor & cæteri, & plures alii quos refert Vela *de delict. cap. 27. n. 3.* & Tib. Decian. *2. tom. crim. lib. 9. c. 5. n. 2.* adnotarunt, afficientur. Nam etsi Caligula cum nullum rapinis modum faceret, descendentium & liberorum nomen ultra filios non porrigi, nequiter, ut Alexander *1. genial. c. 13.* retulit cavillatus fuerit. Veriùs tamen est, in infinitum extendi, & juxta Paul. respon-

tamen, vel à cognatis, vel à Libitinariis, quibus sepelire punitorum cadavera curæ est, Ecclesiastica sepultura donantur. Quod licèt contra leges ut diximus sit, judices tamen conniventibus oculis pati, & usu etiam in impios receptam pietatem impedire non debent. Nam ut optimè quodam loco Ambrosius *lib. 1. offic. cap. 28.* scribit: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia relaxata sunt, nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est.*

Jure autem canonico clericus hujus criminis reus deponi debet, & depositus in perpetuum carcerem trudi, secularis curiæ traditione cessante, ut contra plures, Marian. Socin. *in cap. 1. de his qui lib.* Bernard. Diez, *in prax. cap. 96.* Plaza *d. cap. 22. n. 43.* Vel. *d. c. 27. n. 10. libr. 7. crimin. cap. 6. num. 19.* qui etiam degradandos ait, resolvunt. Nam & si civiles leges carceris pœnam nequaquam admiserint, *l. incredibile, C. de pœnis, leg. mandatis, ff. eod. leg. 2. C. de exact. lib. 12.* quia Ulpian. teste, *in l. 8. §. solent. ff. de pœnis* (vide quæ tradit de interdictis pœnis Cujac. *lib. 34. obs. c. 14. & de hac carceris histor. fori Rom. lib. 5. c. 14.*) *Carcer non ad puniendos, sed ad continendos homines haberi debet.* Pontifices tamen, dum pudori, & verecundiæ clericorum prospiciunt, & eorum delicta puniri potiùs volunt, quàm publicari, hoc supplicii genus, ut latè Bartol. *in l. imperium, num. 8. de juris. omnium jud.* Menoch. *de arb. quæst. 89. & cas. 305.* Simanc. *in catol. inst. tit. 17.* & Gometius *tom. 3. c. 9. num. 6.* animadvertunt, frequenter usurpant. Quod non est cur alicui leve videatur. Quid est enim gravius, quàm esse inter homines, & hominum carere consortio? Et ita vivere, ut liberi spiritus fruendi facultas non sit? & in mala mansione (ita enim carcer, ut Fornerius *lib. 2. select. capit. 1. videl. hi qui. 4. C. de apostat.* ostendit, interdum dicitur) vitæ exitum expectare. Laici quoque secundùm Pontificias sanctiones, parricidii crimen in foro pœnitentiali, carceris tædio, & aliis modis luere solent, qui latè in ipsis constitutionibus recensentur, *tex. in c. 1. & 2. de his qui lib. occid. in c. latorem, 33. quæst. 2.* sanguinis enim pœna pro nullo crimine Jure Canonico infligitur, ut jam pridem Ludovicus Romanus *singul. 688.* admonuit. Neque carceris pœna mitior illa videtur, nam ut eleganter, Magnus Aurelius Cassiodorus *lib. 11. variar. in form. indult.* scribit. *Carcer est cella gemituum, tristitiæ domus, apud superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte cæcatus; in quo non unum tormentum sustinet reus, qui antequam incurrat necis exitus à superis probatur abscisus. Primum fœdor illic collega catenarum, abominabili mœrore discruciat: auditum alieni gemitus & lamenta conturbant: gustum jejunia longa debilitant: tactum pondera prementia defatigant: lumina diutius tenebris obtusa torpescunt. Non est unum clausis exitium, multifaria morte perimitur, qui carceris squallore torquetur.* Unde non injustè Imperatores Theodosius, & Honorius Augusti *in l. omnes, 23. Cod. de pœn.* in exilium damnatos, si carceris custodia exilii metas implesse deprehensi fuerint, non esse ampliùs in exilium ire cogendos scribunt. *Sit enim satis* (inquiunt) *immensorum cruciatuum semel luisse supplicia, nec qui diù privati sunt auræ communis haustu, & lucis aspectu, non intra breve spatium catenarum ponderibus prægravati, etiam exilii pœnam sustinere iterum compellantur.* Et Modestinus Juris consultus, *l. si diutino 25. ff. de pœnis* hoc idem ob oculos habens, aliquatenus ejus pœnam sublevandam admonet, qui diutino tempore in reatu fuerit, id est in carcere, & misero, tristique, ac lugubri reorum statu, ut Duaren. *1. disp. c. 19.* Alciatus, *2. parerg. cap. 10.* Ferrandus *1. expl. c. 49.* Joannes Corrasius, *lib. 2. misc. c. 20.* Rainaldus, Corsus & alii *lib. 1. indag. cap. 19.* Eduar. Caldeira *lib. 3. var. cap. 2.* interpretantur, non ut Accursius *in tad. l. si diutino*: ubi omnes Decius *cons. 535.* M. Mant. *in Glossar. 1. part. cap. 33.* & alii ex antiquioribus minùs rectè putarunt, qui aliquibus retro temporibus delictum commisisse reperti fuerint. Quis enim eorum non miserearur, quibus ex vinculis causam dicentibus incertus judicii eventus assiduum tremorem, & legitimum sæpe metum incussit? *Video* (inquit Calpurnius Flaccus *declam. 4.*) *carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt, & quoties jacentes ferrati portis stridor excitat exanimantur, & alienum supplicium aspectando suum discunt.* Sed ut filum sermonis nostri repetamus, Pontificum quoque jure *c. 1. & sequen. de his qui lib. occid. c. latorem, 33. quæst. 2.* (vide Bernar. Diez *in prax. cap. 99.*) tam filiis qui parentibus, quàm parentibus qui filiis necem intulerint, salutares aliæ pœnitentiæ imponuntur, quæ ex ipsis decretis facilè colligi possunt.

LIBER SECUNDUS.

DE PERSONIS, QUÆ PARRICIDII tenentur, & cullei supplicio plectuntur.

CAPUT PRIMUM.

Dicendorum ordo proponitur. Humaniores literas ad juris studium vehementer conducere demonstratur. Parricidii eos primo loco teneri, qui parentum fata properaverint. Properare fata quid sit. Justinianus expositus, & ex melioribus codicibus emendatus. Liberorum, ut & parentum appellationem latè patere. Modestinus, & Paulus, qui contrarium suadere videntur, vera interpretatione donati. Hominum vitam brevissimam esse.

EXposui superiori libro, qua potui maxima diligentia, quæ in parricidarum supplicio, ut in Sileno quodam Alcibiadis, latebant mysteria; & rem ab omnibus tere neglectam, & à paucis, aut à nemine (quod præfiscinè dixerim) intellectam, ex ignorantiæ tenebris & (ut ita loquar) mancipio, & captivitate, in lucem asserui, & quodam veluti postliminio in pristinum honorem, & dignitatem restitui. Nunc autem cum novus nos, erga personas, quibus hoc supplicium irrogandum est, labor maneat: Et tot hujus (ut ita dixerim) Hidræ capitibus amputatis, alia subinde nascantur, & pullulent; ingenuè (ut Titi Livii *initio decad. 4.* verba detorqueam) illud mihi accidisse fateor, *quod is qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur; quidquid enim progredior, in vastiorem me altitudinem invehi video, & crescere pene opus, quod prima quæque perficiendo minuì videbatur.* Sed pergam nihilominus, nec terga vertam, & annuente Deo, quod restat iter, invium licèt, & nullius antea tritum pede, conficiam: multis, ut hucusque fecimus, Jurisconsultorum, & bonorum auctorum locis, sicubi tractationis ordo poposcerit, in medium adductis. Sycophantis enim istis laqueum mandamus, qui ubi non omnia Bartolos, Baldos, & similes personant, aut ubi aliquem bonis literis tinctum conspiciunt, illico rident, & respuunt, & ad Grammaticorum pulpita relegandum dijudicant; quasi non liceat, mansuetiores musas severioribus copulare, & ex illarum viridariis, & hortulis flosculos aliquando decerpere, quibus possimus nostri juris responsa condecorare. Sed verò altas habet hoc malum radices, & quas evellere mearum virium non sit, cùm id nec robustissimi quidem Milones, licèt in eo oppidò desudaverint, præstare potuerint, Erasm. *apoph. 42. lib. 8.* Alex. ab Alex. *3. genial. c. 14.* Duar. *in orat. de disc. docendoque jure*, Pet. Fab. *2. sem. cap. 2.* Nam ut rectè Sidonius Apoll. *lib. 7. epist. 13. Idiotarum est, sicut facilè convinci, ita difficilè compesci*: Et non minus rectè Terentius *in Adelph.*

Homine imperito nihil quidquam injustiùs,
Qui, niti quod ipse facit, nihil rectum putat.

Ergo, ut his relictis (ne videar Andabatarum morem aerem ferire, aut cum larvis luctari) operi manum admoveam parricidii pœna, ut & leges & ipsum delicti nomen ostendunt, liberis primo loco infligenda est, qui impia manu parentum fata properaverint, ita enim apud Constant. *d. l. unic.* & Justin. *d. §. alia deinde*, legendum est, ut docti viri jam observarunt, non ut vulgati habent codices *præparaverint*: Cujac. *in notis posterior. ad d. §. alia.* Nam ut tam doctè, quàm piè advertit Balduinus *d. §. alia*, etsi quod attinet ad superiorem illam Dei Opt. Maxim. providentiam certos esse vitæ nostræ terminos & fines sclamus, quos ultra, citraque mors, vel vita consistere nequeat, habita tamen inferiorum causarum ratione, non ineleganter fata alicujus properari dicuntur; quin potius eo loquendi genere sæpè gravissimos auctores usos invenio. Sic enim Vopiscus *in Probo, fatalem* (inquit) *properavit necessitatem*, Et Seneca tragædiographus, *in Hercul. furente. Quid juvat durum properare fatum?* Et Petronius, *in satyrico, Ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape*, pro eo quod est, ut Ovidii *1. metamorph.* verbis rem explicem, *ante diem in paternos annos inquirere*: Sicut contradixit Maro, *Depositi proferre fata parentis.* Liberos autem, & parentes cùm dicimus, sursum ac deorsum ascendentes & descendentes omnes, sive paternæ, sive maternæ lineæ, comprehendimus. Latè quippè hæc nomina tum alibi in jure, *l. appellatione parentis, l. liberorum de verb. sig. l. sed si §. liberos de in jus vocan. cum aliis*, tum etiam in hac nostra tractatione accipiuntur; atque adeò quicumque liberi, quocumque gradu positi aliquem ex ascendentibus interfecerint, hoc cullei supplicio tamquam parricidii rei, ut cum Accurs. *in l. 1. & in l. pœna, ff. ad l.* Pomp. *de parric. & in l. un. C. eod.* ubi Azor & cæteri, & plures alii quos refert Vela *de delict. cap. 27. n. 3.* & Tib. Decian. *2. tom. crim. lib. 9. c. 5. n. 2.* adnotarunt, afficientur. Nam etsi Caligula cum nullum rapinis modum faceret, descendentium & liberorum nomen ultra filios non porrigi, nequiter, ut Alexander *1. genial. c. 13.* retulit cavillatus fuerit. Veriùs tamen est, in infinitum extendi, & juxta Paul. respon-

sum, *in l. 1. C. ff. de gradibus*, quod sic docti viri, Pet. Crin. *de hon. dis. lib. 16. c. 8. Conan. lib. 10. comm. c. 1. n. 4.* Bernard. Walth. *lib. 1. mis. cap. 19.* & alii quos refert Caldas *in l. si curat, verb. sine cur. num. 48.* quidquid Andreas Patricius *in fragm. ad orat.* Cicer. reclamitet, accipere solent, usque ad trinepotem, proprio uniuscujusque gradus vocabulo, deinceps communi posteriorum, vel liberorum nomine, omnes in infinitum comprehendi. Neque obest, quod Modestinus *in d. l. pœn. ff de parr. vers. qui alias.* hanc ipsam, de qua loquimur cullei pœnam in eos dumtaxat more majorum inductam testetur, qui patrem, aut matrem, avum, aut aviam occiderint, qui verò alias personas necaverint capitis pœna plectendos, aut ultimò supplicio mactandos. Nam verè respondet Accur. *in d. l. pœn. verb. avium, & in d. l. unic. ver. affectionis.* reliquorum ascedentium mentionem supplendam. Et ut ego adverto, cùm leges semper, frequentiora respiciant *l. nam ad ea, ff. de legibus.* & raro contingat, ut quis pronepotes ejus ætatis habeat, ut in illum manus injicere possint; meritò Modestinus, aliorum ascendentium mentionem non fecit, parentes & avos exempli gratia, quod regulam arctare non solet *L. damni infecti 33. ff. de damn. infect.* nominasse contentus. Est enim brevissimum vivendi tempus hominibus datum & quamvis nonnulli quos auctores memorant Plin. *7. ca. 48.* Cæl. Rho. *lib. 5. ant. lect. cap. 26.* Pet. Faber. *1. semest. cap. 8.* Corras. *5. misc. cap. 18. & cent. 1. sentent. memorab. cap. 72.* Casaubon. *in not.* ad Trebel. Pollion. *pag. 48.* longissimæ ætatis spatia compleverint, tamen & experientia, & juris testimoniis docemur vivatiores homines vix aut ne vix quidem centum annos implere, & raro eis vivis pronepotes agnoscit. *leg. in usufr. 63. de usufr. l. si usufr. 8. de usufr. leg. l. fin. C. de sacr. sanct. eccl. l. 26. tit. 31. part. 3.* atque ita ultra hanc ætatem, quoties agitur de more alicujus probanda, neminem vivere præsumendum, latè Menochius *lib. 6. præsum. 49.* Mascardus *de prob. concl. 1069.* Mant. *in gloss. class. 1. cap. 19.* & alii quos ipsi referunt, tradidere.

CAPUT II.

Liberos, qui parentes occiderint nullis non pœnis meritò subdi, multis, magnisque rationibus suadetur. De pietate, quæ parentibus post Deum præstari debet. Parentes Deos appellatos, & divina quædam esse simulacra. Inde filios in sacris parentum esse, dici solere, cum Connano, Naturam inter homines quamdam cognationem constituisse. Inter filios & parentes omnium maximam hanc necessitudinem esse. Filium, qui hanc violat: & patriæ vitæ, quam tueri debet, insidiatur, in multa peccare. Ciceronarum & Meropum in parentes pietas admiranda. Aurea Aurelii Cassiodori in impios liberos verba.

MEritò liberos, qui parentibus necem intulerint, hac severissima cullei pœna puniri, nemo nisi prorsus rationis expers poterit inficiari. Nam ut Cicero *parad. 4.* ait. *In patris vita violanda multa peccantur, violatur is, qui procreavit, is qui aluit, is qui erudivit, is qui in domo & republica collocavit.* Et cùm divinis legibus *Exod. & Deut. cap. 21. c. non satis 5. cæterum 86. distinct.* qui patrem maledixerit filius, quive contumax, & protervus fuerit, lapidibus obrui jubeatur; cur non humanæ sanctiones asperrimum parricidii crimen novis vindicent pœnis? & eum atrocissimis cruciatibus perimant, qui patrem pro quo, si res postularet, mori debebat, immanissimè vitâ privaverit? *Speret igitur* (ut Impp. *in l. nemo C. de epise. aud.* ajunt) *parricida quod fecit*, & cùm non solùm (ut rectè Fortunius *in l. veluti ff. de just. & jur. arg. l. plura delicta de oblig. & act.* Garsias Hispanus noster doctissimus inquit) unum tantùm, sed duplex delictum, duplex præceptum transgrediendo, commisserit, duplicari sibi pœnas, nequaquam queratur. Qui enim parentem interficit, non solùm homicidii reus esse dignoscitur; sed etiam violatæ pietatis crimen incurrit, quæ parentibus non secus ac Deo præstari à liberis debet. Sic enim præclarè Tullius *in orat. pro Plant. Pietas est* (inquit) *omnium virtutum fundamentum: parentem ut Deum vereri.* Et Plato *lib. 11. de legibus. Nullum liberos Deo proximius simulatrum habere posse quàm parentes, quibus honoratis Deus gaudet.* Sic etiam D. Ambrosius *sup. Matth.* S. Thom. *2. 2. q. 26. art. 3.* Divus Hieron. *sup. Ezechiel.* & alia quæ de pietate tradit Tiber. Dec. *2. tom. crim. lib. 9. cap. 6. Primus* (ait) *gradus pietatis est iste, ut quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstinens contumeliis. Neque vultu lædenda est pietas parentum.* Sed neque absunt nostri juris auctores. Nam Paulus, *in l. Liber. tom. 9. de obseq. à lib.* filio sanctam, & honestam semper patris personam videri debere, scriptum reliquit, & Pomponius *in l. veluti de just. & jure* & Ulpianus *in l. 1. ff. de obsequiis & in l. si quis §. si vel parens, de lib. agnosc.* naturali omnium gentium jure pietatem, reverentiam, & obsequium parentibus à liberis esse præstandum, & ni faciant, ad id per judicem compelli posse, testantur. Diocletianus quoque *in l. filia 5. C. de patrim. potest.* non reverentiam tantùm, sed & subsidium vitæ, pietatis ratione omninò præstari parentibus jubet. Et Constantinus *in l. liber. 28. C. de inoffic.* à filiis, ut in causa inofficiosi obtineant, probari requirit, *quòd obsequium debitum jugiter, prout ipsius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint.* Seneca etiam *lib. 6. de benefic. cap. 23.* naturalem legem hominum mentibus insitam, hanc pietatem liberorum in parentes præcipere tradit, quàm Valerius *lib. 5. cap. 6. in princ.* Deorum numinibus æquari sic tamen ut patriæ majestati cederet, dicere ausus est. *Cujus majestati* (patriæ scilicèt) *illa, quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subjecit.* Sed neque parum hæc eadem parentum veneratio ex his extollitur, quæ Joann. Salisberiensis *in Policra. lib. 5. c. 4.* Petr. Gregor.

gor. *in præl. jur. lib. 2. c. 40.* & Petrus Faber *lib. 2. sem. c. 1. & 2. & lib. 3. cap. 13.* & alii plures relati à Cened. *in collect. 20. ad decret. num. 1.* affatim scripserunt, quorum scripta compilare meum non est. Quid quod Pisidam, parentibus quasi Diis libasse Joann. Stobæus *ser. 42.* scribit: Idemque *ser. 77. parentes post Deum plurimi fieri, quasi secundos, ac terrestres Deos esse, & quasdam velut Deorum imagines.* Unde non omninò carere ratione videtur, quorumdam Philosophorum sententia, qui ut Agellius *2. cap. 7.* refert, ita patri obsequendum existimabant, ut nihil in omnibus ejus jussis à filio detrectare liceret. Quam in rem Pontanus *lib. de obedientia.* plurima, non nulla etiam Tiraquel. *de pœn. temp. caus. 34. num. 2.* scripsit. Neque quod Simplicius Epicteti interpres opinatur, qui ut Guillelmus Fornerius I. C. non incelebris *lib. 2. select. cap. 14.* tradit, cùm rationem inquireret propter quam patruus Thius appelletur, (quod nostrati *Tio* respondet) ait, *Quod cùm patres liberis sint quasi tui, idest Dei, qui tum proxime ad eos accedunt, tui patrui & avunculi appellati sunt. Et quamvis metu divinæ majestatis, parentis Deos nominare desierimus, veteris tamen ejus notæ vestigia in patruorum appellatione remanserunt.* Quæ omnia in causa sunt, ut non ineptè tentare videatur Franc. Contanus *lib. 2. cap. 13. num. fin.* filios dum in patris manu & ditione consistunt, in parentum sacris constitutos vocari, *l. cum oportet in princ. C. de bon. quæ lib. 6. l. filiæ licèt. C. de collat. l. 1. §. fin. C. de min. excep.* cùm aliis non, quòd eorumdem privatorum, familiarumque sacrorum participes essent, ut alii volucrunt; Alciat. *1. præterm.* Briss. *lib. 17. ver. in sacris.* Forcat. *dial. 15. num. 1.* Pinel. *in Rub. C. de bon. 2. p. ex num. 4.* vide etiam *de sacris patern.* Rævard. *lib. 2. conjectanea cap. 11.* sed quòd filio pater, in cujus potestate est, sacrum quoddam & venerandum simulacrum, ut ex supra dictis colligitur, videri, & judicari debeat. Quinimò & patres mortuos apud Romanos loco numinum à filiis habitos, & inter Penates relatos, latè Casaubonus *in notis ad Sueton.* & rursus *in notis ad Capitol. pag. 108.* ostendit. Accedit his, quod pietatis & venerationis ratione semota, non potuit parricidii crimen atrocissimis pœnis non coerceri; Nam si quòd natura inter nos cognationem quamdam constituerit, *cum nos* (ut inquit Seneca *2. epist.*) *ex ejusdem & in eadem gigneret*, hominem homini insidiari nefas esse, Florentinus *I. C. in l. ut vim de just. & jur. facit. l. non tantum 6. ff. de appellation.* concludit, & ut Cicero ait *Si hoc natura perscripsit, ut homo homini, ob eam causam quòd homo sit, consultum velit: certè violare alterum lege naturæ prohibemur.* Quanto censeri debuit gravius, iniquiusque, filium in patrem, cui non generali humanitatis ratione dumtaxat conjungitur, sed eamdem cum eo personam, eamdem vocem, atque idem corpus habere putatur *l. fin. C. de Imp. l. cum scimus C. de agric. & cens. 11. §. ei vero inst. de inutil.* contra divinas omnes & humanas leges sævire? Hostem ne alii prælio lacesserent, quam qui sacramento tenerentur, cautum apud Romanos: Cælius *lib. 11. lect. ant. cap. 18.* commemorat, qui in hoc eos præmonstrare voluisse docet, ne hostem quidem interfici oportere, ni adigat summa & ea legitima necessitas. Unde & Chrysantam collaudavit Cyrus, quòd hostem interfecturus, jam elatum in cædem gladium revocasset, eo quòd receptui canere audisset. Quo igitur pacto prætermittenda ejus immanitas poterit, qui non hostem, sed patrem, à quo genitus & educatus est, propter eam tantum causam occiderit, quòd ab eo vitam acceperit? aut quo modo hanc plusquam belluinam feritatem non exsecrabimur? cùm Seneca *lib. 2. contr. 1.* homines hominibus infestos esse miretur, dum inquit, *Si quæsierit aliquis, quæ causa hominem adversus hominem in furorem cogat? nam neque feris inter se bella sunt; nec si furent, eadem hominem deceant, placidum, proximumque divino genus. Quæ tanta vos fert ira, cum una stirps, idemque sanguis sitis? vel quæ furiæ in mutuum sanguinem egere? Parentes* (inquit Tullius *in orat. post redit ad Sen.*) *carissimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est.* Et Plato: *Fas est* (ait) *parentibus prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum, persolvere, putare enim quisque debet, omnia quæ possidet eorum esse, qui genuerunt, & educarunt.* Undè pulchrè Diogenes ille Cynicus, ut Laërtius *in ejus vita.* recenset, quemdam qui patrem despiciebat videns, *Non te pudet* (inquit) *eum contemnere cui debes hoc ipsum, quod tibi placeat.* Cur ergo à filiis hanc, quam naturali jure debent, antidotalem obligationem, *l. sed si l. §. consuluit. de petit. hæredit. l. si pignore 56. de furt.* non exigemus? aut cur non solùm non præstitas educationis vices, sed ereptam parentibus vitam, quam omninò curare debuerant, severissimis pœnis non vindicamus? cùm talia fecerint, *qualia* (ut Justiniani verbis utar, *in auth. de incest. nup.* ubi sic legendum est) non *admonet*, ut perperam Acc. & Fortun. qui valde involvitur *in l. 1. §. jus natur. vers ex his etiam de just. & jur. irrationabilia etiam amovent animalia.* Nota est namque insignis Ciconiarum in parentes pietas, quæ ut Julius, Solinus *in Polyhistore. cap. 43.* Plinius *lib. 10. c. 23.* & Ælian. *de var. histor. lib. 16.* retulerunt. *Quantum temporis impenderunt fœtibus educandis, tantum & ipsæ à pullis invicem aluntur.* Unde & à pietate apud Hebræos nomen *Chasidith.* ipsas invenisse admonet Petrus Faber *lib. 3. semest. cap. 13.* Et à Petronio Arbitro *in satyr. Pietatis cultrices*, dicuntur, Et à Divo Ambrosio *in hexam. lib. 5.* ex Romanorum usu piæ aves cognominantur. Cujus verba, quæ meritò aurea Baptista pius *annot. cap. 69.* appellat, præteriri nisi impiè non possunt. *Aves* (inquit) *non erubescunt reverendi senis membra portare. Est enim vectura pietas: quod eo usque frequenti testificatione pererebuit, ut con-*

congruè meretedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum usu pia avis vocatur : & quod vix uni Imperatori Consulto Senatus delatum dicitur, hoc istæ aves in commune meruerunt. Pios enim filios, patrum prius oportuit judicio prædicari. Habent etiam & universorum suffragia ; nam retributio beneficiorum [illegible] *dicitur, quia per eam Ciconia nominatur.* Sed, ut Andreæ Alciati *embl.* 30. (& vide Cæl. *lib.* 11. *cap.* 17. Pet. Crin. *de hon. disc. lib.* 4. *cap.* 13. Sim. Majol. *in dieb. canic. colloq.* 6. *pagin.* 223.) nobilissimum de hac re emblema præteream, & nihil de Meropibus dicam quæ ut Aristotel. *de anim. lib.* 9. *cap.* 13. Ælianus, *lib.* 11. *de animal. cap.* 30. Plin. *lib.* 10. *cap.* 33. Suid. *in* [illegible] Pet. Fab. *supr.* & alii testantur, hæc etiam justitia, sive pietate longè, lateque præstant, & parentes non senescentes modo, verùm etiam simul ac datur facultas, exire è nido non sinunt, & educationis vicem reddentes propriis laboribus pascunt : Non possum non aptissimam, his, quæ de filiorum erga parentes pietate retulimus, Magni Aurelii Cassiodori *lib.* 2. *ep.* 14. epistolam subdere, quæ, verò fateor, summo me gaudio delibutum reddidit, & mirabili voluptate perfudit, nec minori, ut arbittor, lectorem perfundet. Ea igitur, vindictam ab impiis filiis omnino summi debere, his elegantissimis verbis ostendit.

SIMMACHO PATRICIO THEOD. REX.

Quis possit accusare jam reliqua, si pietatis nomina probantur esse crudelia? Negligitur levis reatus, cùm tragœdia criminis magna tonuerit, nec aliquis nititur, quod parum est vindicare, si delicta summa respiciantur evadere. Inimicum trucem ratio ipsa professionis ostendit, irarum plerumque poteris invenire collegam. Inobedientem verò filium declinare pœnas non permittit humanitas. Ubi est illa naturæ vis, quæ amplexu copulæ destinatur ad posteros? Ferarum catuli sequuntur parentes, à cespite suo virgulta non discrepant, propago vitis propria seruit origini, & discrepat homo à suo fusus initio. Quid dicamus illa beneficia, quæ vel extraneam possunt obligare personam? Nutriuntur à parvulis, ipsis laboratur, ipsis divitiæ conquiruntur : Et cùm sibi unusquisque credat abundare quod possidet, eum à patribus adhuc quæritur, pro altera potius ætate peccatur. Prob dolor! non meretbimus eorum affectum, pro quibus subire non recusamus exitium? Maria ipsa sævis tempestatibus excitata genitorum cura non refugit, ut peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat. Aves ipsæ quarum via semper in estis est, naturam suam extraneæ sordis non maculant. Ciconia redeuntis anni jugiter nuntiatrix, ejiciens tristitiam hyemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum. Nam cùm parentes eorum pennas senio coquente laxaverint (Lassaverint reponendum contendit Christoph. Colerus *parerg. cap.* 30.) *nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inveniri, plumis suis genitorum membra frigida refoventes, escis corpora lassa reficiunt. Et donec in pristinum vigorem ala grandeva redierit, pia vicissitudine juvenes reddunt, quòd à parentibus parvuli susceperunt. Et ideò non immeritò longa vita servantur, qui pietatis officia non derelinquunt. Perdicibus etiam mos est, ova perdita per alterius matris damna sarcire, ut adoptione alienæ sobolis, incommoda suæ reparet orbitatis ; Sed mox ut nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice, qui ut fuerint materna voce commoniti, ovorum suorum potius genitricem petunt, quamvis ab aliis, furtivis fœtibus, educentur. Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatem avibus inesse cognoscunt? Romulum itaque, qui fœti sui acerbitate pollutus, non fœdat Romanum, ad veitrum facite venire judicium. Et si eum patri suo Martino manus injecisse constiterit, protinus legitimam sentiat ultionem ; quia ideò elegimus mores vestros, quia crudelibus parcere non potestis. Quando genus pietatis est, in illos distringere, qui contra naturæ ordinem, sceleratis se docentur actionibus miscuisse.*

Hæc Cassiodorus. Cujus elegantissimis verbis similia alia Antonii Sabellici *memorab. tit. de piet. in parent.* & plurima pientissimorum filiorum erga patres exempla, lectori forsitan non ingrata subjicerem, nisi id jam antea diligenter præstitisset Jacob. Menochius *lib.* 6. *præsum.* P. Torres *in philos. princ. lib.* 4. *per tot.* & ut Polybius *lib.* 1. *in princ.* ait, *Minimè necessarium esse putarem, ut de bis quæ rectè, & à multis dicta sunt, denuò sermo habeatur.*

CAPUT III.

Naturales quoque & extra matrimonium procreatos liberos, æquè ac legitimos parricidii tueri. De spuriis & incestuosis quosdam contra sentire. Nos pluribus in utramque partem expensis, nullam quoad hunc casum liberorum differentiam faciendam, serò docemus. Naturam æqualem filiis omnibus esse. Nullum parentem à filio in jus vocari permitti, quidquid alii opinentur. De spuriis plura scitu non indigna.

NAturales liberos, hoc est, qui citra matrimonium generantur, nulla à legitimis distinctione, quoad fœdus naturale, discerni, multis in locis Justin. admonuit *auth. quib. modis nat. eff. leg.* §. *si quis verò non habens & auth. quib. modis eff. sui* §. *si quis ergo filios.* Neque id sine magna & gravi ratione, siquidem lex civilis, aut legitimorum solemnium defectus, naturæ vim mutare, aut stimulos naturales retundere nequit *l. eas de cap. min.* §. *sed naturalia inst. de jur. nat. l. Amicissimos* 36. §. *Lucius, de excus. tut.* Unde Dionysius senior apud Plutarch. *in Apophthg. reg. & imp.* nullo jure civili, nec ipsa quidem principis auctoritate naturalia jura dirimi posse dicebat. Quò fit, ut cùm parentum veneratio, de-

debitaque eis à filiis pietas, ex ipsis naturæ fontibus scaturiat, sitque lex hæc, qua colere & suspicere parentes jubemur, (ut Cicero de defensione loquens *pro Mil.* aliàs inquit) *Non scripta sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus ; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus* : æquè naturales liberi, ac ii, qui ex justis nuptiis procreati fuerint, parricidii pœna teneantur. Quod concors scriptorum omnium schola recepit & non inefficacibus argumentis probari potest. Ut constat ex relatis à Greg. Lop. *in d. l.* 12. *verb. al filo. Jul. Cla.* §. *parricidium num.* 2. Plaz. *de delic. cap.* 22. *num.* 12. Vel. *cap.* 27. *n.* 2. Tiraq. *de pœn. tem. cau.* 20. *num.* 12. *& in l. ti una quam verb. donat. largitus num.* 235. Fortun. Garcia *de ult. fin. illat.* 2. Ant. Gom. 3. *tom. cap.* 2. *num.* 3. & Tiber. Dec. *lib.* 9. *crim. cap.* 8. *num.* 8. qui idem tradit *in patre nat. occidente filium* Videmus namque jura, quæ cullei pœnam aspertimo huic crimini irrogandam statuunt, naturali parentum appellatione usa fuisse, & personas, quæ in hoc incidunt scelus, naturaliter designasse, quo casu non civilium legum dispositionem, sed naturam ipsam inspicimus, ut ex Paul. *in l. tutelas de cap. minu.* responso colligitur. Rursus, & si naturalium, & legitimorum parentum inæqualis sit erga filios potestas, tamen ut verbis utar Ulpiani *in l.* 4. *de curat. furios. pietas eis æqualis debetur*, atque ideò in edicto de in jus vocando, quo pudori parentum parcitur *l.* 4. *ff. de in jus vocan. l. fin. C. eodem*, & *de modo vocan. in jus vid.* ne violenta illa manus prehensione, & obtorto collo rapi in jus à liberis possent naturales etiam parentes hoc privilegium habere Ulpianus *d. l.* 4. *in fin.* ex Labeone nos docet ; & apertius Julius Paul. *in l. parentes* 6. *de in jus vocan.* reddita quæ maximè ad rem nostram conducit ratione, sic inquiens. *Parentes naturales in jus vocare nemo potest : una est enim omnibus parentibus servanda reverentia.* A quo non longè abest quod ipse Julius Paul. *in l. adoptivus.* 14. *vers. unde nec vulgo ff. de ritu nupt.* alibi tradit, *Vulgo quæsitam filiam, naturalem patrem ducere uxorem non posse : Quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus est, contra pudorem est autem, filiam uxorem suam ducere.* Denique in ipso, de quo agimus, crimine, servum, licèt nec civiles, & legitimas nuptias *princ. inst. d. nup. l. cum ancill. C. de incest. nup. l. quod attinet. d. reg. jur.* sicut nec alia quæ juris erant Romani, cognoscat, à filio tamen occissum, lege Pompeja de parricidiis vindicari, Venulejus *in l. hos accusare* 12. §. *item nec lex. ff. de accusat.* Jurisconsultus scribit. *Sed cum natura* (inquit) *communis est, similiter & in eos animadvertetur.* Neque adversatur, quod naturales liberi, præsertim non ex concubina domi retenta, sed vulgo concepti, atque procreati, quos ut Andreas Alciatus *lib.* 4. *parerg. cap.* 5. Mercell. 2. *opin. cap.* 7. Connan. *lib.* 2. *c.* 16. *num.* 2. Paleo. *de notb. c.* 17. & 18. Mant. *in Encb. c.* 182. observarunt *Nothos* appellare solemus, patrem habere non intelligantur, atque ita neque parricidium committere possint : cùm ut Paulus *in l. quia semper de in jus vocan. l. filium eum de his qui sunt sui.* ait, *Pater is tantum sit quem nuptiæ demonstrant.* Et ut Modestinus *in l. vulgo.* 23. *ff. de stat. hom. vulgo quæsiti patrem demonstrare non possint.* Unde proverbiali carmine dicitur.

Cui pater est populus non habet ille patrem.

Et filii isti si Justiniano *in* §. *penul. inst. de nup.* credimus incertum patrem habent, & spurii solent appellari, quasi sine patre filii, eo quòd olim, ut scribit Plutarchus *in probl.* (quamvis Antonius Conclus *lib.* 2. *successivarum lect. c.* 11. Hotom. *in disp. de spuriis.* & omnino videndus Cujac. *lib.* 5. *observat. cap.* 6. alias etymi rationes inquirat) spurius his notis. S. P. designari soleret, quasi patrem non habens, unde spurii nomen ei inditum est. Non quia filii sine patre esse ulla ratione potuerint : sed quia, ut Sylvester Aldobrandinus *in d.* §. *pœn.* eleganter cum Theophilo notat, *Ob numerum eorum, qui cum matribus eorum consuetudinem habent, patres habere non intelliguntur.* Quamobrem Aristippus, auctore Laërtio *in vita Aristipi.* cùm illi meretrix diceret, abs te gravida sum facta : nihilo (inquit ille) magis hoc nosti, quàm si super spinas densissimas incedens diceres : Ista me pupugit. Diogenes autem, eodem Laërtio *in Diod. Cyni.* teste conspicatus meretricis filium, lapidem in turbam conjicientem : Cave, inquit, ne patrem ferias. Quò respicientes Athenienses, Cecropem, qui primus unam junxit in matrimonium, & concubitus vagos coërcuit, duplicis naturæ : ut Suidas in [illegible] & Athæneus *lib.* 13. *c.* 1. memorant, esse finxerunt ; Quamvis Cæl. Rhod. *lib.* 6. *lect. antiq. cap.* 14. aliam hujus rei causam tradat. ut superiore parte virum referret, inferiore fœminæ speciem ostenderet : significantes per matrimonium homines non matrem tantùm, sed & patrem etiam cognoscere posse. Nam etsi quoad civiles effectus patriæ potestatis, & successionum jura, hæc omnia quæ diximus vera sint, & vulgo suscepti filii pro nolì filiis sint, & patrem habere non videantur. Quoad reverentiam tamen & obsequium parentibus debitum, & reliqua alia, quæ ex natura ipsa descendunt, naturales liberi nihilo à legitimis differunt (ut constat ex *nup. citat. juribus* & ex auctoribus congestis à Tiraquel. *d. causa* 20. *num.* 12.) & violatæ pietatis pœnas æqua lance perpeti debent. Cùm interdum & ipsi vehementius quàm legitimi à parentibus diligantur, ut Pelopæ & Hebii exemplis adductis ostendit Plutarch. *in parallel.* Cumque non deficiant in jure, ut Paleotus *de not. & spur. c.* 26. & Mascardus *de prob. concl.* 791. docent præsumptiones & argumenta, quibus filiorum etiam naturalium pater cognosci, & probari plenissimè queat. Neque oporteat meliorem esse causam naturalium quàm legitimorum, & contra Justinianì *in auth. de rest. & ea quæ parit* §. *fin.* sanctionem, *plus habere castitate luxuriam.* Ex quibus explodenda est

Bart.

Bart. *in l. Divus de parr.* Immolæ. *in l. ex facto. §. si quis rogatus ad Trebel.* Alex. *in d. l. Divus, & in cons.* 143. *vol.* 1. Ias. *in §. pæn. num.* 61. *inst. de act. Speculat. in tit. de accusat. §.* & aliorum relatorum à Plaza *d. c.* 22. *num.* 12. Pet. Gerar. *sing.* 2. *in fin.* Tib. Decian. *lib.* 9. *crim. c.* 15. *num.* 30. opinio, qui incestuosos filios & ex illegitimo coitu procreatos, parricidii crimen nequaquam incurrere constanter defendunt. Nam etsi hi patrem quoque habere non censeantur, quòd talem habeant quem habere non licet, unde & ex Solonis legibus nihil parentibus debebant, à quibus solam infamiæ labem accepissent, quæ apud Athenienses, ut Claudius Minoes *ad Embl. Alc.* 138. refert adeò gravis existimabatur, ut locum quemdam haberent quo spurii seorsum ab ingenuis exerceri essent soliti, quem Cynosargem apellabant: nam contaminare nobilitatem spuriorum consuetudine verebantur. Adhuc tamen ego in contrariam sententiam manibus & pedibus eos & filios, quantumvis incestuosos, & ex damnato coitu generatos, parricidii reos esse posse, cum Baldo *in c.* 1. *§. naturales si de feud. fuer. contr. inter dom. & vass.* Greg. Lopez *in dict. l.* 1. *c.* 2. *par. verb. al fijo.* Covarr. qui alios refert *de sponsal.* 2. *part. c.* 8. *§.* 6. *n.* 2. Plaza *d. c.* 22. *n.* 12. & 13. Bortun. *de ult. fin. illat.* 7. & aliis verius existimo: communis namque est, ut diximus, omnium filiorum natura *d. l. hos accusare §. omnibus, ff. de accusat.* & licèt lex civilis hujusceinodi liberos tantùm abhorreat, ut neque alii à parentibus debeant: Auth. *ex complexu C. de incest. & nefar. nup.* quam conatur à duritia defendere Madera *animad. c.* 32. Tamen ut graviter & doctè inquit Franc. Connanus *d. lib.* 2. *Lex naturæ nullis se angustiis includi passa est, eodemque jure filios omnes, quomodocumque nati essent habuit. Tam pater est ejus instituto, qui ex concubina, meretrice, ancilla, consobrina, quàm qui ex justa uxore liberos suscepit.* Unde & ex simili coitu naturalis conjunctio & affinitas nuptias prohibens, nascitur *l.* & *nihil* 54. *ff. de rit. nupt. c. diserationem de eo qui cogn. consang. uxo. sua.* (Vide Tiber Dec. *lib.* 9. *crimin. c.* 9. *num.* 11. quin hinc servorum filios parricid. teneri ait.) & filius quamvis per incestum susceptus, non ideò filius esse desinit, quoniam, ut ait Augustinus *de bono conjug. c.* 16. *relat. in regul.* 32. *q.* 4. *Semen hominis ex qualicumque homine Dei creatura est: & ei malè utentibus malè erit, non ipsum aliquando malum erit.* Quo fit, ut & ali ex Pontificiis decisionibus debeat *cap. cum haberet. de eo qui duxit in matr.* Soc. *cons.* 161. Covarr. *sup.* Paleot. *de nothi c.* 48. juxta juris naturalis præceptà *l.* 1. *§. jus nat. ff. de just. & jur. princ. inst. de jure nat. et jus naturale.* 1. *dist.* & omnino, eodem jure dictante, parentibus obedientiam & pietatem præstare tenentur, pariterque ac legitimus, si asperrimum parricidii crimen commisserit, cullei pœna plectatur. Neque turbor Accursii *in l. quia semp. de in jus vocan.* sententia, quæ supradictos auctores decepisse videtur, existimantis, incestuosos & illegitimos, sive adulterinos liberos, non teneri reverentiam parentibus exhibere, atque adeò illos sine venia in jus rapere posse: nam etsi Accursii judicium, Angelus *in §. pæn. inst. de act.* & Zassius *in l.* 4. *§. prætor ait, ff. de in jus vocan.* commune esse testentur: contraria tamen opinio magis juris regulis consentanea videtur, neque enim frustra Paulus *d. l. parent. de in jus vocan.* generaliter loquitur, dicens: *Una est enim omnibus parentibus servanda reverentia*, nisi ut quoscumque parentes à quibuscumque filiis vocari non posse significaret; prout contra Accursium optimè cum Azone *in summa l. de in jus vocan.* Ias. defendit, *d. §. pænal. num* 61. & eleganter Fortun. Garc. *de ulti. fin. jur. illat.* 7. *vers. quinimò contrarium*: & Sylvest. Aldobrandinus *d. §. penul. inst. de nup.* Et cùm patronum etiam ex fide commissi causa manumittentem, ob solum libertatis beneficium in jus vocari prætor prohibeat, *l.* 4. *& ll. is cui* 9. *ff. de in jus vocando*; cur non quemcumque parentem, à quo filius habuit ut videret, eodem honore donabimus? Præsertim cùm ipsa gravitate, ut Maynus *lib.* 2. *act. c.* 44. considerat, ætateque plerumque grandiori, parentes commendentur; quod nedum filios, verum & extraneos quodammodo ad reverentiam inducit. Unde Ovid. 5. *Fast.* illud.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Cui adstipulatur Juvenalis *satyr.* 13. dùm inquit:

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, &c.

Et alia quæ de senectutis veneratione Corras. *de jure civil. in artem red.* 2. *p. cap.* 6. Connan. 1. *commun. cap.* 9. *num.* 3. Tiraquel. *de nobil. cap.* 19. *& de primog. in præfat. à num.* 75. Madera *de las excelencias de España cap.* 3. *in princ.* scripserunt. Quibus addo quod de nothis in hunc sensum scribit Euripides: *Nothum genus habet nomen culpabile, natura verò æqualis est.* Planè adoptivi filii cùm in eis ea cessent omnia quæ supra retulimus, parricidii non tenebuntur, ut doctè, & latè Tiber. Dec. *lib.* 9. *crim. c.* 9. *num.* 5. observat.

CAPUT IV.

Proscriptum patrem, quem bannitum vocant, à filio citra parricidii crimen, quidquid alii arbitrentur, occidi nim posse. Hoc variis rationibus & exemplis corroboratum. Limitari tamen ubi pater in patriam aut Principem aliquid hostili animo moliretur, nec alia remedii via daretur. Expenduntur in hanc rem elegantissima Marcelli, Ciceronis, & aliorum testimonia. Patriæ nos plus quàm parentibus debere. Majorem parentem à Varrone appellari. Qui obiter declaratur. Hoc etiam exemplis adstruitur.

ILlud etiam magnis scribentium concertationibus disputatur, an filius citra parricidii crimen, proscriptum patrem (quem Bannitum vocant) occidere possit? In qua quæstione, ajentium & negantium Auctorum sententiæ reperiuntur, quos ut compendio referam, Ludovicum Carrerium §. *de homicidio, vers. nono quæro, num.* 26. Petrum Plazam *de delict. capit.* 22. *num.* 14. & ab eis omissum Tiraquel. *de pœn. temp. caus.* 20. *num.* 6. & 7. Catel. Cot. *in memorab. verb. Bannitus el* 3. allego. Sed tandem in eam magis frequens eorum numerus convenit, quæ distinctione adhibita mediam quodammodo viam sequi videtur, ut si ob majestatis crimen, vel patriæ proditionem proscriptus fuerit pater, impune occidi à liberis possit, si verò ob aliam causam non ita.

Quæ opinio Bartol. *in l. si adulter. §. liber de adult. & in l. minimè de relig.* Angelo *in authent. de incest. nup. in princip.* Joann. de Portona *in l. qui servum de verb.* Paulo Castrensi *in l.* 1. *§. jus autem de justit. & jur.* & antiquioribus aliis arrisit, & communi omnium fere recentiorum ore probatur, ut constat ex Carrer. & Plaza *ubi supra*: Mihi verò (tantùm pietati tribuo) etiam in hoc casu filio patrem occidere nequaquam licere, magis arridet: nam & si lex civilis, publicos hostes & majestatis reos, cognationis & agnationis juribus & effectibus privet, *l. postlimin. §. filius de captivis*; naturalis tamen sanguinis qualitas, & debita parentibus pietas nullo pacto aboleri, nulloque jure dirimi potest, ut passim Jureconsulti testantur, *l. jus autem, ff. de pact. l. jura sanguinis de reg. jur.* unde alimenta his proscriptis, à filiis deberi, & reliqua omnia, quæ naturalem causam habent, manere eis incolumia, licèt adversentur plures, plurimi alii fatentur, quos refert Tiraquel. *supr. num.* 8. *cum sequent.* Menoch. *de arbitr. quæst.* 90. *n.* 45. & relati à Cened. *in collect.* 20. *ad decretum num.* 2.

Et quamvis occidendi proscriptum, sive perduellionis damnatum, potestas omnibus fiat; cùm tamen id necessitati non subjiciatur, quod potestati, seu voluntati committitur, *l. non quidquid de judic.* non omninò impium filii facinus impunitum relinqui debere censerem, qui de patris vita, pro qua optimum consilium capere debuit, tam iniquum sumpsit arbitrium. Cùm neque patronum (cui patrem præferri, vel Agellii, *lib.* 5. *noct. attic. c.* 13. testimonio probatur) impunè possit libertus etiam in casu permisso, ut Modestinus *in l. si adulterium, §. liberto, ff. ad leg. Jul. de adult.* docet, vita privare: neque (ut in receptatoribus Paulus *in l.* 2. *ff. de receptator.* scribit) par sit eorum delictum; qui nihil ad se pertinentes homines occiderunt, & eorum, qui non affines quidem vel cognatos, sed patrem ipsum pro quo mori debuerant, interfecerint.

Unde meritò à Valerio Maximo *lib.* 9. *c.* 11. Cæl. Rhodigin. *lib.* 11. *lect. antiq. c.* 17. & aliis, cujusdam filii crudelitas execratur, qui patrem tonantibus bellis civilibus proscriptum, apud clientulum securè latentem, militibus prodidit, eoque nomine à sanguinariis tribunis, patris

bona, delationis præmium accepit. Contrà verò eum eximiis laudis, & pietatis encomiis Appianus *lib. bellorum civilium* 4. extollit, qui in triumviralis proscriptionis turbine, senio jam affectum patrem Oppium nomine, utque manere licerèt deprecantem, non prius dereliquit, quàm extra portam urbis tutò sistere posset, indeque humeris impositum Siciliam usque indefesso animo, cui paternus amor vires suppeditabat, perduxit incolumem. Sed neque minotibus laudibus, ignobilem quamdam, & humilem puerperam, Valerius *lib.* 5. *c.* 5. prosequitur, quæ cum matrem supplicii causa, carcere, ubi ut fame periret damnata erat, inclusam haberet, cùm impetrasset à janitore aditum, semper excussa, ne quid inferret cibi, uberibus suis eam alens tandem inventa fuit; quo miraculo, ut Plin. *lib.* 7. *c.* 36. verbis utar, *matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis, & ille locus eidem consecratus est Deæ, C. Quinctio, M. Attilio Cons. templo Pietatis in illius carceris loco structo.* Ergo quidquid integrum collegium tenuerit, cui hanc quæstionem fuisse à civitate Tudertina commissam: Bart. *in d. l. si adulterium, §. liber. ff. de adult.* refert, & quidquid in Baldazo quodam usu venisse, qui patrem proscriptum impunè necavit, memoret Alexand. *in d. leg. liber.* Cotta *in mem. verb. bannitus el* 3. ego adduci non possum ut credam, filio, etiam in hoc casu, patris necem impunè cessuram.

Quod eò constantius defendo, quòd videam mecum Angelum *in d. §. libert.* Decium *in c. quæ in Ecclesiarum, n.* 14. *de constit.* Fortun. *in l. veluti 9. colum. vers. ex superioribus*: Garcia & Didac. Covarr. *de spons. c.* 7. *§.* 7. *n.* 5. *& in c. Rainut. in initio, n.* 9. sentire, & eamdem opinionem probare. Necnon Cæpol. *consil.* 5. *n.* 29. *cum seqq.* quem refert, & sequitur Tiber. Dec. *lib.* 9. *crim. c.* 13. *n.* 6. qui quod plus est, extraneos opem filio dantes; hoc in casu teneri vult, quamvis aliàs neutiquam tenerentur. Planè si pater aliquid contra patriam, vel patriæ parentem, Principem hostili animo moliatur, aut etiam in Catholicæ fidei perniciem, quà violata vix potest ulla Resp. incolumis esse, aliquid tentare præsumat, non dubitarem filium absolvere, qui ubi nihil rogando profecerit patris scelus vel detulerit judici, vel desperatis rebus, & nulla alia remedii forma relicta, in illum manus injecerit. Hoc namque concors omnium utriusque juris interpretum schola confitmat: Fortunius, Covarr. & supradicti omnes; Carrer. *tit. de homic. vers. 9. quæro, n.* 27. Plaza *d. c.* 22. *num.* 15. Simancas *in Cathol. instit. tit.* 29. *num.* 35. *cum multis seqq.* Pert. Gerar. *sing.* 2. Mant. *sing.* 155. *& in Enchirid. c.* 242. Duefias *reg.* 286. *ampliat.* . . . . & latè Cenedo *collect.* 20. *ad decret.*

Et efficacissima ratione defenditur, quippè quòd non possit pater in Rempublicam facere, quin simul filio vim & injuriam inferre videatur, quam etiam contra patrem propulsare licere, omnes cum Florent. *in l. ut vim de just. & jur.*

testantur. Unde in Apolog. Tert. *in reos* (inquit) *majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* Et eum minimè parentis loco habendum, neque ut talem lugendum Marcellus *in l. minimè* 35. *de religios.* (vide omninò Durant. Casel. 2. *var. c.* 3. & Tiber. Decian. *suprà cap.* 15. *n.*9. & 10.) admonuit. *Qui ad patriam delendam, & parentes & liberos interficiendos venerit: Quod si filius patrem, aut pater filium occidisset sine scelere, etiam præmio afficiendum.* Id quod elegantissimè Marcus Tullius 3. *offic.* expressit, sic inquiens: *Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius? Imò verò obsecrabit patrem ne id faciat; si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam, ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris.*

Etenim ut multis Jurisconsultorum *l.*1.§. *sed est servus de vent. insp. l.*1.§. *generaliter de vent. in pos. mitt. l.*3.§. *quod pater de mun. & hon.* testimonlis cavetur, non parentibus tantùm sed præcipuè Reipublicæ nascimur: Quam in pari causa præferri debere, quicquid literæ ordine Pomp. *in l. veluti de just. & jur.* parentes præponat, optimè post longam disputationem concludit. Fortunius *in d. l. veluti col.*10. & ex Platonis *in Crito.* sententia colligitur, à quâ non longè Cicero 1. *offic.* abest, & alii ex Græcis Philosophis, quorum verba latè congerit Stobæus *serm.*37. Unde Varro relatus à Nonio, scitè admodum patriam majorem parentem appellat, sic inquiens: *Si qui patriam majorem parentem extinguit, in eo culpa est, quod facit pro sua parte is qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit:* ubi ut hoc obiter animadvertam, verbum *producit* non *procreat*, significat, sed *differt, & impedit*, ut & verba præcedentia suadeant, & rectè Christophorus Colerus *parerg. c.* 34. prævidit. Sed & Cicero *lib.* 1. *de Repub.* non minùs venustè antiquiorem, sivè potiorem parentem patriam dixit: *Sed quoniam* (inquit) *plura beneficia continet patria, & est antiquior parens quàm is qui creavit; major profectò ei, quàm parenti debetur gratia.* Valerius *lib.* 5. *c.* 6. *in princip.* quoque hoc idem non inelegantioribus verbis edocuit: *Arcllissimis* (ait) *sanguinis vinculis pietas satisfecit; restat nunc, ut patriæ exhibeatur; cujus majestati, etiam illa, qua Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subjecit; fraterna quoque caritas æquo animo, ac libenti cedit, summa quidem cum ratione, quia versa domo, intemptatus Reip. status manere potest; urbis ruina, penates omnium trahat secum necesse est.*

Et sanè neque exemplis destituimur, quibus præstantiorem esse patriæ, quàm parentum aut liberorum causam, manifesteturi: Nam Lucium Brutum, Valerio *dict. lib.* 5. *c.* 8. Flor. *lib.* 1. *cap.* 9. August. *de civit. Dei, lib.* 3. *cap.* 16. Polict. *lib.* 4. *cap.* 11. referentibus, legimus filios suos Tarquinii dominationem à se expulsam revocare conantes, comprehensos proque tribunali virgis cæsos, ad palum religatos, securi percuti jussisse. Cujus exemplum Darius, & alii quorum Plutarch. *in parallel. cap.* 23. *& sequent.* meminit sequuti sunt: Et ut interim Epaminondam, Manlium Torquatum, & Postumium Tiburtium omittam, qui filios, ut passim tradunt Auctores Plutarc. *suprà c.*13. Plin. *lib.*34. *c.* 4. Agellius *lib.* 9. *c.*13. Valer. *suprà, & lib.*2. *c.*7. ob militiæ ordinem non servatum morti dedere; quò forte respexit, Paulus *in l. post Liminium* §. *filius de captivis*, dum ait: *Disciplinam castrorum antiquiorem fuisse Romanis, quàm caritas liberorum:* silentio Avidii Cassii memorabile factum involvi non potest, qui filium Tribunum, qui legem Agrariam primus tulerat; multisque modis populariter hominum animos sui amore devinctos tenebat, ob affectati regni crimen domi damnavit, verberibusque affectum necari jussit, ac peculium ejus Cereri consecravit, ut Plin. *d. lib.* 34. *c.* 4. Florus *lib.*1. *c.*26. & alii prodidere. Marii quoque & Erechthei consimile factum narrat Plutarch. *in paral. c.* 40. *&* 41. qui patriæ caritati, natura postposita, in somniis prænoniti, se victoriam consequuturos si priùs Diis victimas filias facerent: nihil cunctati, eas animo libenti sacrificarunt.

CAPUT V.

Expositum etiam filium, & à patre quavis occasione relictum, si agnitum patrem occiderit, parricidii teneri, contra omnes defendimus. De expositis liberis plura. Thebanorum, Romanorumque de exponentibus leges. Naturaliter etiam malè meritis parentibus ob solum vitæ beneficium, pietatem à filiis deberi. Hoc Valerii, & Cicer. verbis, & Manlii Torquati exemplo probatum.

SUpradictis proximè quæstio illa videtur accedere, an filius, qui patrem occiderit, à quo sanguinolentus, id est recens natus expositus sit, vel posteà languidus, & infirmus sine justa causa in xenone, seu hospitali relictus, parricidii pœna, vel ordinario tantùm homicidii supplicio veniat afficiendus? Et quidem interpretes omnes quotquot de hac re sermonem fecere: Petr. Gerar. *sing.* 2. Carter. *d. vers.*9. *quæro, n.*28. Paz. *d. c.*22. *n.*15. & 27. *in fin.* Menoch. *de arbitr. cas.* 396. *n.*14. Tiber. Decian. *lib.* 9. *crim. c.*15. *n.*29. parricidii reatum filium incurrere negant, verbis Imperat. Valentiniani, Valentis, & Gratiani allecti, qui eum, sobolem suam exponendam putavit, non solùm animadversioni, quæ constituta est, quæ erat extraordinaria ex S. C. Plauciano, ut refert Menoch. *d. cas.* subjacere præcipiunt, sed & aditum repetendi filii habere non sinunt. *Nec enim* (inquiunt) *in l.*2. *C. de infant. expos. suum quis dicere possit quem pereuntem contempsit.* A quâ decisione non longè noviot alia Justiniani *in l. fin.* §. *sed scimus, Cod. de latin. lib.* differre videtur, quâ servus, qui ægritudine affectus à domino destituitur, si convaluerit, servitutis vinculis liberatus, sui juris manere jubetur. Quod æquè

æquè in filiis valuisse, & patriæ potestatis nexibus, si à parente expositi fuerint, liberari, tam civili, *l.*1. *C. de expos. in C. Theodos. cap. unic. de infant. expos. lib.*3. *tit.*20. *part.* 4. quàm canonico, & regio jure probatur.

Nam etsi olim Romulus, ut Dionysius *lib.*2. *antiq.* Petr. Greg. *lib.* 44. *Syntag. c.* 3. *n.*2. refert, liberos sub certis legibus exponere concessisset, posteà tamen his, & aliis pœnis non immeritò ea parentum crudelitas coërcita est: Nam si filios, qui à patribus nullam artem edocti essent, patres impunè contemnere, & alimentis privare prudentissimus sanxerat Solon Plutarc. teste *in ejus vita*, cur iis pietatem, & obsequium debebunt, à quibus sub fortunæ arbitrio relicti, & quodammodo vita privati immaniter fuerint? *Netare enim videtur,* ut Paulus tradit, *qui denegat alimenta: Et qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet, in l.* 4. *de lib. agnos.* quæ non malè intelligi potest, de his, qui exponebant filios in columna lactaria Sospiti Junoni dicata; de qua vide, quæ post Festum tradit Rævard. *lib.*1. *conject. cap.* 17. Unde apud Thebanos, ut Ælianus *lib.*2. *de var. hist.* refert, lex erat, quæ capitis pœna mulctabat illum, qui infantem exponere, vel in solitudinem abjicere ausus fuisset.

Verum si in extrema necessitate pater esset constiturus, sive mas sive fœmina infans asset, cogebatur eum statim à materno partu ad magistratum, cum ipsis fascils, adferre, qui acceptum alicui viro levi pretio tradebat, cum quo pactum, & conditiones intercedebant, ut per suam fidem infantem aleret, & adultum servi, vel servæ loco haberet. Sed & Romanis, apud quos hoc crimen frequentissimum fuisse indicat Tertullianus *in apologia, filios exponitis suscipiendos ab aliquo pratereunte misericordia extranea* variè, pro temporum varietate, vindicatum fuit; ut ex Cujacii *lib. 16. observat. cap.* 36. *&* *in parat. ad tit. Cod. de inf. ex pos.* Menoch. *casu* 396. Vela *de delect. cap. de exponen. inf.* Bossio *tit. de homic. num.*7. *&* 8. scriptis constabit.

Sed adhuc ego, quoad nostram pertinet tractationem, adduci non possum, ut credam, etiam ob hanc causam filium patri, quem compertum, & exploratum habet, & à quo se genitum esse cognoscit, citra parricidii supplicium mortem inferre posse. Nam neque verosimile est filium à patre sine maxima causa exponi potuisse; ut enim apud Philostratum *lib.*2. *cap.*8. ex Eutipide Apollonius ostendit:

Cunctis hominibus filii sunt ipsa anima.

Et ut exponendi occasio deficeret, ac certè, qui exponit, pater esse non desinit, neque quicquid se impiè adversus filium & crudeliter gerat, natura ipsa minor ei pietas, & reverentia debetur. Quid est enim, ob quod non solum nascendi initium, & hujus vitæ usuram, filii parentibus rependere teneantur? Unde rectissimè Imp. *l. patrem* 26. *Cod. de nupt.* etiam in nuptiis expositæ filiæ exponentis patris consensum requirit; & Fortunius Garcia *in l.* 1. §. *jus naturale de justit. & jur.* admodum doctè concludit, ex supradicta ratione filium egenti patri, quamvis ab eo nunquam aliquod beneficium acceperit, alimenta præstare, teneri.

Naturaliter itaque parentibus etiam malè merentibus pietatem debemus, quod Mucii Manlii Torquati filius apud Valerium *lib.* 5. *c.* 4. ostendit, qui effecit, ne pater, à quo semper rustico opere gravatus, & male habitus fuit, causam ad populum diceret: Et Valerius ipse hoc addito elogio manifestiùs expressit: *Commendabilis est pietas, quæ manuetis parentibus præstatur; Sed Manlius, quo horridiorem patrem habuit, hoc laudabilius periculo ejus subvenit: qui ad eum diligendum, præter naturalem amorem, nullo indulgentiæ blandimento invitatus fuerat.*

Ostendit etiam & Cicero *pro Cluent.* dum pro Cluentio, Ita adversus ejus matrem Sasiam loquitur: *Nam Sasia mater hujus Habiti, mater enim à me nominis causa, tametsi in hunc hostili odio, & crudelitate est, mater inquam appellabitur, neque unquam illa ita de scelere, & immanitate audiet, ut naturæ nomen amittat.*

CAPUT VI.

Parricidii crimen malè hucusque à Doctoribus ad patrum spiritualium, Judicum, Dominorum, & similium personarum interfectores extentum. Planè qui patriam, aut principem produnt, parricidas passim à bonis auctoribus appellari: & non majestatis tantùm, sed & parricidii reos videri. Hoc & debitum patriæ amorem exposcere. De quo nonnulla. Pilatum in Christi Domini morte parricidium commisisse secundum aliquos. Qui ejus interitus. Præceptoribus non secus ac parentibus reverentiam deberi, & an in nece eorum parricidii crimen committatur.

QUemadmodum naturales parentes nullo casu citra parricidii crimen interfici posse, nisi ubi contra patriam aliquid moliuntur, supra contra communes Doctorum traditiones resolvi: ita è contrario explodenda est mihi in hoc capite eorumdem sententia, quos refert Plaza *d. c.*22. *n.*18. Tiraquel. *in l. si unquam verb. susceperit liberos num.* 22. Roxas *in epit. suc. cap.* 28. *n.*9. Menoch. *casu* 355. *n.*16. Tiber. Dec. *lib.*9. *crim. c.* 5. *ex n.* 5. qui scrio affirmare nequaquam verentur, parricidium quoque, in nece parentum spiritualium committi, vel aliorum, qui parentum instar habeantur; veluti si quis Judicem, Dominum, Episcopum, vel Parrochum interfecerit: Ita docet Accurs. *in auth. at jud. sine quoquo suffr.* §. *illud:* Fab. Plat. & Angelus *in* §. *alia deinde, Inst. de publ. jud.* Carr. *d. vers.*9. *quæro, n.* 10. *&* 12. Plaza *supr. n.*21. *&* 22. Nam etsi non diffiteat, magnam in his personis venerationem & pietatem deberi, ut pluribus adductis Tiraquel. ostendit, *de pœn. temp. cas.* 21. *per totam.* Et As-

can. *Clem. de pat. pot. effect.* 3. *ex num.* 7. Quis tamen ferat, particularem hujus sceleris pœnam, peculiaribus rationibus certis personis infligtam, ita latè produci, ut nullus fere casus relinquatur, quo locum habere non possit? Aliis suppliciis, alia maleficia puniantur, parentum violatio hanc sibi dumtaxat animadversionem usurpet; neque pœnalium legum verba contra totius legalis scientiæ principia, *l. interpretatione, l. respiciendum de pœn. c. odia de regul. jur. in 6.* extra proprios cancellos protrahantur.

Præsertim cùm isthæc horum auctorum ampliationes, nullo, nec juris, nec quotidiani usus fundamento nitantur, ut bene Gregor. Lopez *in d. l.* 1. 2. *part. verb. al fijo*: D. Joan. Vela *d. c.* 27. *n.* 5. & Tiber. Decian. *d. lib.* 9. *c.* 9. *n.* 6. advertunt; sicut neque illa, quam ex multorum opinione refert, & sequitur Plaza, *ubi supr. num.* 35. quæ docet parricidii reum judicem esse, qui subditum suæ potestati & imperio hominem injustè ultimo supplicio mactaverit, contra apertum Ulpiani *in l. Cornelia, ff. de sicar.* responsum, qui eo in casu pœnam legis Corneliæ de sicariis comitti his verbis scripsit: *Lege Cornelia, de sicariis tenetur, qui cum in magistratu est, esset, eorum quid fecerit, contra hominis necem, quod legibus permissum non sit.* Planè si quis in patriam aliquod facinus commisisset, etiam si alia reperiantur supplicia non malè tentare quis posset, parricidii pœnam locum habere, ut post alios doctissimus Ant. Conclus *ad leg. Jul. majest. lib.* 1. *c.* 1. & Tiber. Decian. *d. c.* 5. *n.* 4. advertunt: nam certè parricidii nomen hanc in rem sæpissimè ab auctoribus usurpari videmus. Cicero 3. *offic. Potest cuiquam esse utile fœdissimum parricidium patriæ.* L. Flor. *lib.* 4. *c.* 1. cum de Catilinæ conjuratione loqueretur: *Fulvia vilissimum scortum, sed parricidii innocens.* Salustius de eodem Catilina Ciceroni maledicente in Senatu, *ad hæc maledicta* (inquit) *alia cùm adderet, obstrepere omnes, hostem, atque parricidam vocare.* Et de alia, quæ eleganter ad hoc notat Isaac. Casaub. *ad Lamprid. pag.* 350. Quod non immeritò admitti videtur, si enim patria communis nostra est parens, qui patriæ vim, & interitum infert, aut in ejus perniciem impium aliquod facinus machinatur, quasi qui parentem occidat, parricidii reus judicari debet. Quinimo potiorem esse patriæ, quàm parentum rationem, & *suprà hoc lib. c.* 4. insinuavi, & eleganter Ovid. 2. *de Ponto, eleg.* 4. ostendit, dum ait:

Dulcis amor patriæ ratione valentior omni.

Et Seneca *in Troad. Præferre patriam liberis regem decet*: Sed neque abest Cicer. 1. *offic.* qui patriam patribus præposuit, dum dixit: *Non nobis solùm nati sumus, sed partim patriæ, partim parentibus, &c.* Et 6. *de repub. & in somn. Scip. Justitiam cole, & pietatem, quæ cum sit magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima est.* Quod satis testati sunt Brutus, Curtius, Decii, Scipiones, Codrus, Thrasibulus, Philenì, & alii, qui ut passim auctores (Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 6. & alii relati à Petr. Greg. *in prælud. lib.* 2. *c.* 39. Bellengar. *verb. patria*) commemorant, mortem pro patria alacriter oppetierunt, maluerintque patriam incolumem propriæ vitæ jactura relinquere, quàm superstites cernere laborantem, & captivam intueri. Unde non absimili modo, licèt ii qui principes aliquid moliuntur, majestatis crimen incurrant, & pœnis huic sceleri constitutis, *l.* 1. *leg. quisquis, cum aliis, C. & ff. ad l. Jul. majest.* plectantur; adhuc tamen, quia Imperator vel Princeps patriæ pater esse censetur, parricidæ dicuntur. Sueton. *in Jul. c.* 38. de Julii Cæsaris morte agens: *Curiam, in qua occisus est obstrui placuit, Idusque Martias parricidium nominari.* Valer. *lib.* 2. de Cajo Cassio: *Dignam manum quæ publico parricidio se non contaminaret*, & sæpè alibi, in locis plena manu à Brisonio, *verb. parricidium* congestis.

Quibus ego Senecam *lib.* 1. *de Clement. c.* 9. addo, qui Augustum, ad Cinnam sibi insidias parasse compertum ita inducit loquentem: *Vitam tibi Cinna do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ.* Et Lampridium *in Commod.* qui in Commodi nece exultasse populum refert, & magnis acclamationibus illum *parricidam Senatus appellasse.* Nimirum, quia ut Cicero ait: *Atrocius est patriæ parentem quàm suum occidere.* Qua de causa, Pilatum, quòd Christum Dominum omnium parentem & servatorem occiderit, parricidam fuisse, & pœna parricidii miraculosè damnatum, nonnulli ex nostris Scriptoribus tradiderunt: Montal. *in tract. de reprob. sent. Pilati, ver. & hæc sufficiunt*: Carr. *in prax. §. de homicid. vers.* 9. *quæro, numer.* 11. Plaz. *d. c.* 22. *n.* 23. Tiber. Decian. *lib.* 9. *crim. c.* 5. *n.* 7. Ejus namque corpus fuit per terram à duobus bobus perductum, & non secus atque de parricidis fieri, alio loco retulimus, in lacum projectum. Quamvis alii auctores, quibus hac in re plus tribuendum existimo, propria se illum manu transverberasse testentur, Paul. Oros. *lib.* 7. *c.* 5. Baron. *tom.* 1. *annal. anno Christi* 41. *pag.* 280. ut sic malorum, in quæ devenerat, compendium, mortis celeritate quæreret.

Est etiam ut Petr. Ærodius *lib.* 8. *rer. jud. tit.* 6. *c. fin.* advertit, aliquod parricidii genus in præceptores sævire á quibus quis licèt non vitam, vera tamen (ut dicebat Antisthenes & Aristippus) ex Laërt. *in eorum vitis*, vitæ præsidia, quæ etiam é naufragio possint enatare, censetur accipere. Quinimo quod dirat corpus ab animo, eo plus præceptoribus debemus quàm patribus, quare non minori quàm parentes obsequio & amore præceptores colendos, post Platonem Accursius quoque noster *in l. libert. 9. de obseq. à liber.* agnovit, & Marcus Mantua, *in glossar. part.* 1. *c.* 92. Ascan. *Clem. de pat. potest. eff.* 3. *num.* 11. qui hinc magistrum in jus vocati non posse, constanter tuetur. Quis est enim, ut Cicer. *pro Planc.* (inquit) *liberaliter educatus, cui non educatores, cui non sui magistri, atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse aut doctus, aut altus est, cum grata recordatione in mente versetur?* Aut quis ignorat, nunquam vel commendari satis (ut Annæus Robertus *lib.* 3. *rer. jud. c.* 3. ait) vel merita largitione, & dignis præmiis foveri posse præceptores? qui solicito studio educationem, & mores adolescentiæ curant, quique juventutem bonis artibus imbuunt. Quod quantum conducat ad veram & solidam gloriam, Lycurgus, ut Cœli *lib.* 20. *c.* 28. refert, catulorum argumento demonstrabat, quos eisdem prognatos parentibus, educationis dissimilitudine diversis moribus ostendebat: cum lucernarius foret unus, alter venaticus, & qui generosos spiritus, alunt, laboribus innutritus. Unde nota est in jure, & ab omnibus hac solùm de causa probata, illa Attilii Reguli *de donat.* in Nicostratum præceptorem, cujus disciplina melior effectus fuerat, remuneratoria donatio: Necnon pium illorum auditorum officium à quibus Sabinus ut narrat Pomponius, *in l.* 2. *circa fin. de orig. jur.* in plurimum sustentabatur. Sed & multa, eademque insignia grati animi erga magistros exempla, lato sermone Petrus Gregor. *in prælud. cap.* 41. & Menoch. quem vide *centur.* 5. *cas. fin.* recensuit. Et quod ad rem nostram vehementer conducit, Zoïlum quòd nedum vivis præceptoribus, sed Homero totius (ut Just. *in proœmio, ff. §. incipite* inquit) virtutis parenti, mille jam antè annos mortuo, indigne detraheret, damnatum parricidii nonnulli testantur: alii á Philadelpho in crucem affixum: quidam, lapides in eum conjectos: aut Smyrnæ vivum in Ignem, ut sacrilegum, projectum esse ajunt: Refert. Petr. Ærodius *ubi supr.* Quæ tamen omnia, eo animo accipi volo, ut gravissimum crimen esse patriæ, principi, & præceptoribus mortem inferre significent, non tamen ut in his casibus, quicquid supradicta contrarium suadeant, culleo, & serpentibus locum esse, defendere videar.

CAPUT VII.

De filiis sit ad parentes transitus. Horum in filios imperium ex natura ipsa descendere. Romanos potestatem patriam cum vitæ, & necis jure in liberos exercuisse. Hujus rei multa in bonis auctoribus testimonia: nonnulla etiam in Jurisconsultorum libris vestigia inventri. Omnia diligenter ob oculos posita. Et Martiniano in leg. 1. *de parricid. cum Cujac. luce data. An apud alias nationes jus impune occidendi liberos fuerit. Et qui apud Romanos eo usi reperiantur. Quo respectu Cajus & Justinianus patriam potestatem proprium jus Romanorum dixerint. Vendere olim liberos parentibus licuisse hodie quatenus liceat.*

PArentum in filios dominationem ex naturæ legibus originem trahere, & ea quæ de illis debita reverentia *sup. hoc lib. c.* 2. retulimus, satis ostendunt, & eleganter Plin. Jun. *in Panegyr.* admonuit, dum ait: *Lex naturæ semper in dilione parentum liberos esse jubet.* Nec dissentit Aristot. *lib.* 2. *polit.* qui gentium jure, triplex in unaquaque domo imperium constituit. Dicearchum in servos, Basilicum in filios, Politicum in uxores. Romani tamen, jam inde a nascentis reipublicæ tempore, adeo magnam sibi in liberos potestatem adrogarunt, & tot juribus, totque privilegiis munitam, ut patria potestas (ut Justin. *in §. 1. inst. de patr. pot.* post Cajum tradit) propria civium Romanorum, neque eo modo apud alios homines usu recepta, dici potuerit. Quod forsan, ut pleraque alia, ea demum ratione induxerunt Romani, ut cives ad matrimonia, & liberorum procreationem urgentius alicerent (Multa quæ ob hoc inducta sunt vide apud M. Vertranium, & Ferd. Paez *de jur. lib.* Duaren. 1. *disp. c.* 40.) nec enim frustra Senec. *lib.* 3. *de benefic. c.* 10. *Parentum* (inquit) *conditionem sæcavimus, quia expediebat liberos tolli, & liberis civibus civitates replere.* Inter reliqua autem patriæ potestatis jura, quæ singulis prope paginis auctores nostri commemorant, (*De effect. patr. potest.* vide Asc. *Clement. in tract. de pat. potest.* Pinel. *in Rub. C. de bon. mater.* 2. *p.* Forc. *dial.* 15.) illud maximum erat, ut parentes filios non vendere tantum, verùm & occidere ad libitum possent. Quod ex antiquissima Romuli lege originem traxit, quæ his erat verbis concepta & quam referunt Balduin. & Pratejus *ad ll. Rom. cap.* 17. & omnes *in princ. de patr. potest. Parentum in liberos omne jus esto, relegandi, vendendi, occidendi*, & multis juris nostris civilis testimoniis affatim demonstratur. Sic enim Paulus *in l. in suis* 11. *in fin. de lib. & posth.* de liberorum exhæredatione pertractans, *Nec mirum est* (inquit) *ut liceat eos exhæredare, quos & occidere licebat*, & Papinian. *in l. patr.* 20. *de adult.* patri tantum, qui filiam in potestate habet, ejus in adulterio deprehensæ, occidendæ licentiam permittit. Et Constant. Imp. *in l. fin. Cod. de patr. potest. Libertati ait tantum á majoribus impensum fuerat, ut paribus quibus jus vitæ in liberos, nefasque potestas erat permissa, libertatem eripere non liceret.* Sed neque abest Martianus, *in l.* 2. *ad l. Pomp.* qui cum legis Pompejæ de parricidiis capita recenseret, ea teneri matrem, & maternum avum, qui liberos occidissent, expressit; patris verò altum fecit silentium: ea nimirum causa, ut ante nos erudite Cujac. *lib.* 5. *observat. cap.* 17. (quod non intellexit Pratejus *sup.* tradit idem Cujac. *in oppos. ad Tit. C. de patr. potest.*) advertit, quia cum mater, & per maternam lineam ascendentes personæ, liberos in potestate non habent, *§. fin. Instit. de pat. potest. l. nulla fœmina, ff. de suis & legit.* non æquè ut pater, liberos impunè occidere poterant. Extat quoque Epigramma quoddam hanc eandem potestatem ostendens apud Petronium *in Epigram. post satyr. excusis* in hæc verba.

Et

Et pater est dictus patriæ dignissime Juli.
Quique tibi vitam abstulit est quoque dictus
Ipse pater patriæ, Dic Phœbus adhæreat utri?
Utrique: hic patris est vitam dare, Patris & hoc est
Romani, ti quam potuit dare, demere vitam
Posse etiam natis: vitam dedit alter, ut alter
Vitam adimit, patriæ pater est sic dictus uterque.

Nec desunt parentum exempla, qui hac sibi concessa facultate usi perhibeantur. Nam ut Junium Brutum, Avidium Cassium, Manlium Torquatum, & Posthumium Tiburtium præteream, quorum jam alio loco *supr. hoc lib. c.* 4. meminimus. Aulus Fulvius Senatorii ordinis vir euntem in aciem filium retraxisse, à Sallustio *in Catil.* Dionysio *lib.* 37. Valer. *lib.* 5. *c.* 8. narratur, juvenemque & ingenio & literis, & forma inter æquales nitentem, pravo consilio amicitiam Catilinæ sequutum, inque castra ejus temerario impetu ruentem, supplicio mortis affecisset: præfatus, non se Catilinæ illum adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse: Quin etiam citra causam Reipublicæ ob solius pudicitiæ respectum, refert Pomponius *in leg.* 2. §. *initium de origin. jur.* Virginium Virginiam insontem filiam occidisse. Et Titus Livius *lib.* 1. P. Horatium, ejus Horatii patrem, qui superatis Curiatiis, sororem occiderat, ita ad populum inducit loquentem, *se filiam jure cæsam judicare: ni ita esset patrio jure in filium animadversurum.* Nimirum quia hoc priscis Romanis jure potestatis licebat, & de liberis ut Budæus *in l.* 2. *ff. de sicar. in annotat. posterior.* ait, etiam capitaliter citra judicium statuere poterant. Id quod ex Cicerone *in orat. pro domo sua*, quoque intelligere possumus: qui de Clodio loquens, qui se in adoptionem plebejo homini dederat, cùm ex patriciorum genere esset: ita inquit: *Credo enim quamquam in illa adoptione legitimè factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fontejus vitæ, necisque potestatem haberet ut in filio?* Hæc namque concepta esse, & solemnia adrogationis verba, ex Agellio *lib.* 4. *noct. Attic. cap.* 19. & Alex. ab Alex. *lib.* 2. *genial. cap.* 8. didicimus. Sed neque Romanis duntaxat verùm aliis quoque nationibus hanc filiorum occidendorum licentiam fuisse communem, vel ex eo colligimus, quòd Ægyptii levissimam in filiorum occisores, ut Diodorus, *lib.* 2. refert, animadversionem constituebant. Et Persæ crudelem in filios, & in servos dominationem exercuisse, paternaque potestate abuti soliti memorantur: Cæl. Rhod. *lib.* 11. *lect. ant. c.* 17. *ad med.* ex Arist. qui eorum imperium Tyrannidem nominat *lib.* 8. *Ethic. c.* 10. Apud Gallos item, ut Cæsar *de bello Gall. lib.* 7. testatur, viri, non in liberos tantùm, sed & in uxores vitæ, & necis potestatem habebant. Quod & apud Israelitas, & alios adjacentes populos voluisse, ex Abrahami exemplo ita liberè filium Isaacum morti devovere audentis, & Jephte, qui à bello rediens filiam sibi primo oblatam in victimam obtulit, nec non ex aliis sacræ historiæ argumentis latè probare contendit Petr. Gregor. *in prælud. lib.* 5. *c.* 7. *& lib.* 11. *syntag. c.* 5. Inde Justinianum *in d.* §. 1. *de patr. potest.* reprehendens, quòd nullos alios homines talem qualem Romani potestatem habere in liberos dixerit, in quem etiam eadem ratione Francisc. Connan. *lib.* 2. *comment. c.* 13. invehitur, non satis animadvertentes Imperatorem aliis gentibus potestatem in liberos non negare, nec enim poterat, cùm ut initio hujus capitis diximus, ex juris naturalis fontibus manet. Sed eam tantùm, quæ Romanis est, tot scilicet juribus, tot effectibus prædictam, nullos alios homines agnovisse, testari. Quod multi ex nostris scriptoribus inter quos Pinel. *in Rub. C. de bon.* 2. *p. n.* 17. Vacon. 1. *declarat. c.* 8. & 3. *c.* 50. Porca *dial.* 15. & omnes post glos. *dict.* §. 1. rectè percepisse videntur, & Dionysius Halycarn. *lib.* 2. luculenter explicuit, adeò latam patriam potestatem apud Romanos fuisse, recensens: ut dominicam superaret. Nam sive necare, sive verberare, sive rustico opere damnare innocentem, inauditum, & indefensum filium pater vellet, ei libera erat facultas, nec non & usque ad tertiam auctionem vendendi, ut si semel nundinatus à patre filius, ab hero clementiore manumissus fuisset, iterum genitoris venalitium, ut ante, mancipium fieret, nec nisi post tertiam auctionem ab ea truculentia tutus esset. Quæ tamen vendendi filios facultas posterioribus Jurisconsultorum, & imperatorum temporibus (ut hoc obiter animadvertamus) non videtur itidem valuisse, *l. minor.* 39. §. *pater. de evictio. l.* 1. *C. de pat. qui fil. l. fin. C. de patr. potest.* Mercer. *lib.* 1. *opin. c.* 9. quinimo nedum vendere, verùm & pignori accipere, sub deportationis pœna, ut Paulus *lib.* 5. *sent. tit.* 1. scribit veterum erat (quamvis Tribonianus sub ejusdem Pauli *in l. fin. ff. quæ res pigno*, nomine relegationis tantùm, ut advertit Cujac. *ad Paul. d. tit. facit l. qui filios C. quæ res pig. l. obest, & auth. imo Cod. de obl. & action. l.* 8. *in fin. lib.* 3. *fori. l.* 3. *tit.* 13. *pag.* 5. & vide Balduin. *ad leg. Rom. cap.* 17. meminerit.) Nisi fortè Pater in id inopiæ & paupertatis devenisset, ut non nisi ex filii, filiæve venditione sibi victum quærere posset; tunc enim ei filium vendere, & multò magis (quicquid contrarium Accur. *in l.* 2. *Cod. de pact. qui fil. distr.* quem sequitur Jas. *in l. in suis num.* 28. sed rejiciunt cæteri, ut constat ex Pinel. *in* 2. *part. Rub. Cod. de bon. Mat. num.* 35. Cujac. *sup. Molin. lib.* 4. *de primogen. cap.* 5. *num.* 13. Covarrub. 3. *var. cap.* 14. *n.* 4. somniet) pignori dare, Constantini Imperatoris sanctio *l.* 2. *C. de patribus qui fil. distrax. l.* 8. *& 9. tit.* 27. *p.* 4. his verbis concepta permittit. *Si quis propter nimiam paupertatem, egestatemque, victus causa filium, filiamve sanguinolentus vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem, &c.* Quo tamen in loco vulgata lectio mendosa videtur, & verbum, *sanguinolentus*, non ad patrem,

trem, sed plurali numero *sanguinolentos*, ad filios referendum, & recens natos, adhucque sanguine materno madentes interpretandum, ut jam pridem multi magni nominis viri animadverterunt. Pinel. & Covarrub. *sup.* Alc. *lib.* 1. *de verb. sig.* Cujac. *in parat. C. de inf. expos. & his qui sanguinolentos nutriendos acceperunt*, Gilberi. Rheg. *lib.* 1. *Enantiph. c.* 21. P. Fab. 1. *sem.* 6. Neque mirum si famis & necessitatis ratione, hoc parentibus permiserint jura, nam id à paterna pietate nequaquam alienum videtur: cùm satius sit eo modo patrem sibi simul & filio prospicere, quam utrumque maximo famis dolore, quem Menandet miserrimum vocat, perire. Unde Nehemiæ quinto capite populus fame oppressus, sic inquit: *Filii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & bibamus.* Et Eusebius *lib.* 9. *Histor. Eccles. cap.* 8. refert, tempore Maximiani Imper. multos parentes filios suos vendidisse. Et Erisichthon postquam integrum patrimonium luxuriosè profudit, tandem & filiam, ut fami succurreret vendidit, ut tradit Ovid. 8. *metam.* his verbis.

Et tandem demisso in viscera cultro,
Filia restabat, non isto digna parente,
Hanc quoque vendit inops.

Extat etiam (ut alia quæ in hanc rem ex Tiraquel. *lib.* 1. *de retr.* §. 26. *glos.* 1. *num.* 14. Ascan. Clem. *de patr. potest. effect.* 1. *num.* 2. Piso. Soac. *in* §. 1. *inst. de patr. potest.* acceperunt, silentio præteream) facetissimum apud Aristophanem *in Acar.* de Megarensi quodam exemplum, qui optionem filiabus dabat, vellentne vendi, an potiùs domi fame perire, Græcè quidem, sed in hunc sensum.

Verùm ô improbæ puellæ miseri patris
Accendite ad cibum, si quid inveneritis alicubi,
Audite tunc, convertite ad vos ventrem,
Utrùm vendi mavultis, an esurire malè?
Puell. *Vendi, vendi.*

CAPUT VIII.

Jus occidendi filios olim parentibus datum, posterioribus legibus ademptum, nec nisi modicam coercitionem, aut exheredationis remedium illis relictum. His supplicitis parentes erga filios contentos esse debere, Senecæ, Ambros. Salvian. & aliorum verbis ostensum. Trajanum filium, quem pater severè nimis tractabat à patris manu liberasse, id jure factum, ut Papin. refert. Cujus verba cum Hotoman. & Petr. Fab. emendantur, quamvis Cujacius emendationem non probet. Patrem filium sibi reluctantem judicibus offerre debere. Multis hoc juribus comprobatur. Sed præcipuè Ulpian. responso in l. 2. *de sicariis. De ejus interpretatione latissimè agitur. Neminem indicta causa damnari.*

QUemadmodum vendendi, ita & occidendi filios potestas, novioribus legibus angustata videtur. Undè quæ de hac re tractant Jurisconsultorum & Imperatorum responsa, præteriti duntaxat temporis meminerunt. Nam cùm patria potestas, ut Marcian. *in l. Divus ad l. Pomp. de parric.* ait, *in pietate debeat non in atrocitate consistere*, & ex Antonini constitutione, neque in proprios servos sævire ultra modum licuerit, justissimè immanis illa barbaries in parentibus etiam coërcita fuit, *l.* 1. *cum seq. de his qui sunt sui* §. 1. *inst. eod.* tradit Alex. ab Alex. 3. *gen. c.* 20. Quam ob rem sicuti emendare pater filium jure patriæ potestatis non prohibetur, *l.* 3. *C. de patr. potest. l. unic. C. de emendat. propinq. l.* 8. *& 9. tit.* 8. *p.* 6. cum latè adductis à Pet. Fab. 3. *semestr. c.* 16. Menoch. *de arb. casu* 364. sic atrociter in eum animadvertere jura non patiuntur, *leg.* 3. *& 4. C. de patr. potest.* Nam ut ait Salvianus *lib.* 3. *ad Eccles. cath. pag.* 387. *& in epist. ad Hypat. pag.* 301. *Pro magno peccato paulum supplicii satis est patri, & nihil de ultione perdit filio ignoscens, quia felicius multo est, & laudabilius, mitè aliquem etiam immeritò ignoscere, quàm in suos etiam meritò vindicari*, & Plinio teste *lib.* 9. *epistol.* 21. *Tunc præcipua est mansuetudinis laus, cùm iræ causa justissima est.* Deberque naturalis parce in irrogandis supplicitis cœlestem imitari, qui ut Tertul. ait *lib. de pœn. Cùm provoluit, hominem magis relevat, cùm accusat, excusat cùm condemnat, absolvit.* Inde est ut neque abdicatio quæ Græco more ad alienandos liberos usurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus (ut Dioclet. *in l. abdicatio C. de patr. potest.* statuit) comprobaretur: neque patri præter modicam castigationem, alius læsæ pietatis vindex, quàm exhæredatio, superesset. Unde D. Ambrosius *lib.* 5. *epist.* 28. *Usu humano* (inquit) *hæreditatis pecuniariæ gratia facit, ut venerabiliora fiant jura pietatis. Quia hoc quoque plus defertur parentibus; ne læsa pietas patris ulciscatur se exheredatione contumacis pignoris* & Quintilianus *decla.* 259. *Fulmen istud patrum adversus ferociam adolescentiæ datum est, adversus filios, qui precare plus possunt.* Quo ex fonte jam planè percipimus, cur in Paulani responso *in l. fin. si aparent quis fuer. man.* ex Trajani rescripto coactus fuerit pater filium emancipare, quem malè contra pietatem afficiebat, & omnino à filii bonis exclusus ex Neratii Prisci & Aristonis consilio, propter solvendæ pietatis necessitatem: quippè quia licet nemo filium emancipare compelli soleat, *leg. neque avus C. de eman. lib.* qui tamen malè utitur jure potestatis in filium sibi concesso, eo beneficio se prorsus reddit indignum *c. ut privileg.* 24. *de privil.* & quemadmodum dominus, qui nimis in servum excandet, vel ancillæ pudori non parcit, cogitur illum, illamque bonis conditionibus vendere. *Expedit enim,* (ut Justinianus ait *dict.* §. 1. *de his qui sunt sui, l. si lanones, C. de ep. aud.*) *ne re sua quis malè utatur: ita & pater filium*, in quem tyrannidem potiùs quàm potestatem exercet, cùm vendere non possit, manumittere omnino rectissimè cogitur. Filii namque custos potiùs debet

Et pater est dictus patriæ dignissime Juli.
Quique tibi vitam abstulit est quoque dictus
Ipse pater patriæ, Dic Phœbus adhæreat utri?
Utrique: hic patris est vitam dare, Patris & hoc est
Romani, ti quam potuit dare, demere vitam
Posse etiam natis: vitam dedit alter, ut alter
Vitam adimit, patriæ pater est sic dictus uterque.

Nec desunt parentum exempla, qui hac sibi concessa facultate usi perhibeantur. Nam ut Junium Brutum, Avidium Cassium, Manlium Torquatum, & Posthumium Tiburtium præteream, quorum jam alio loco *supr. hoc lib. c.* 4. meminimus. Aulus Fulvius Senatorii ordinis vir euntem in aciem filium retraxisse, à Sallustio *in Catil.* Dionysio *lib.* 37. Valer. *lib.* 5. *c.* 8. narratur, juvenemque & ingenio & literis, & forma inter æquales nitentem, pravo consilio amicitiam Catilinæ sequutum, inque castra ejus temerario impetu ruentem, supplicio mortis affecisset: præfatus, non se Catilinæ illum adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse: Quin etiam citra causam Reipublicæ ob solius pudicitiæ respectum, refert Pomponius *in leg.* 2. §. *initium de origin. jur.* Virginium Virginiam insontem filiam occidisse. Et Titus Livius *lib.* 1. P. Horatium, ejus Horatii patrem, qui superatis Curiatiis, sororem occiderat, ita ad populum inducit loquentem, *se filiam jure cæsam judicare: ni ita esset patrio jure in filium animadversurum.* Nimirum quia hoc priscis Romanis jure potestatis licebat, & de liberis ut Budæus *in l.* 2. *ff. de sicar. in annotat. posterior.* ait, etiam capitaliter citra judicium statuere poterant. Id quod ex Cicerone *in orat. pro domo sua*, quoque intelligere possumus: qui de Clodio loquens, qui se in adoptionem plebejo homini dederat, cùm ex patriciorum genere esset: ita inquit: *Credo enim quamquam in illa adoptione legitimè factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fontejus vitæ, necisque potestatem haberet ut in filio?* Hæc namque concepta esse, & solemnia adrogationis verba, ex Agellio *lib.* 4. *noct. Attic. cap.* 19. & Alex. ab Alex. *lib.* 2. *genial. cap.* 8. didicimus. Sed neque Romanis duntaxat verùm aliis quoque nationibus hanc filiorum occidendorum licentiam fuisse communem, vel ex eo colligimus, quòd Ægyptii levissimam in filiorum occisores, ut Diodorus, *lib.* 2. refert, animadversionem constituebant. Et Persæ crudelem in filios, & in servos dominationem exercuisse, paternaque potestate abuti soliti memorantur: Cæl. Rhod. *lib.* 11. *lect. ant. c.* 17. *ad med.* ex Arist. qui eorum imperium Tyrannidem nominat *lib.* 8. *Ethic. c.* 10. Apud Gallos item, ut Cæsar *de bello Gall. lib.* 7. testatur, viri, non in liberos tantùm, sed & in uxores vitæ, & necis potestatem habebant. Quod & apud Israelitas, & alios adjacentes populos voluisse, ex Abrahami exemplo ita liberè filium Isaacum morti devovere audentis, & Jephte, qui à bello rediens filiam sibi primo oblatam in victimam obtulit, nec non ex aliis sacræ historiæ argumentis latè probare contendit Petr. Gregor. *in prælud. lib.* 5. *c.* 7. *& lib.* 11. *syntag. c.* 5. Inde Justinianum *in d.* §. 1. *de patr. potest.* reprehendens, quòd nullos alios homines talem qualem Romani potestatem habere in liberos dixerit, in quem etiam eadem ratione Francisc. Connan. *lib.* 2. *comment. c.* 13. invehitur, non satis animadvertentes Imperatorem aliis gentibus potestatem in liberos non negare, nec enim poterat, cùm ut initio hujus capitis diximus, ex juris naturalis fontibus manet. Sed eam tantùm, quæ Romanis est, tot scilicet juribus, tot effectibus prædictam, nullos alios homines agnovisse, testari. Quod multi ex nostris scriptoribus inter quos Pinel. *in Rub. C. de bon.* 2. *p. n.* 17. Vacon. 1. *declarat. c.* 8. & 3. *c.* 50. Porca *dial.* 15. & omnes post glos. *dict.* §. 1. rectè percepisse videntur, & Dionysius Halycarn. *lib.* 2. luculenter explicuit, adeò latam patriam potestatem apud Romanos fuisse, recensens: ut dominicam superaret. Nam sive necare, sive verberare, sive rustico opere damnare innocentem, inauditum, & indefensum filium pater vellet, ei libera erat facultas, nec non & usque ad tertiam auctionem vendendi, ut si semel nundinatus à patre filius, ab hero clementiore manumissus fuisset, iterum genitoris venalitium, ut ante, mancipium fieret, nec nisi post tertiam auctionem ab ea truculentia tutus esset. Quæ tamen vendendi filios facultas posterioribus Jurisconsultorum, & imperatorum temporibus (ut hoc obiter animadvertamus) non videtur itidem valuisse, *l. minor.* 39. §. *pater. de evictio. l.* 1. *C. de pat. qui fil. l. fin. C. de patr. potest.* Mercer. *lib.* 1. *opin. c.* 9. quinimo nedum vendere, verùm & pignori accipere, sub deportationis pœna, ut Paulus *lib.* 5. *sent. tit.* 1. scribit veterum erat (quamvis Tribonianus sub ejusdem Pauli *in l. fin. ff. quæ res pigno*, nomine relegationis tantùm, ut advertit Cujac. *ad Paul. d. tit. facit l. qui filios C. quæ res pig. l. obest, & auth. imo Cod. de obl. & action. l.* 8. *in fin. lib.* 3. *fori. l.* 3. *tit.* 13. *pag.* 5. & vide Balduin. *ad leg. Rom. cap.* 17. meminerit.) Nisi fortè Pater in id inopiæ & paupertatis devenisset, ut non nisi ex filii, filiæve venditione sibi victum quærere posset; tunc enim ei filium vendere, & multò magis (quicquid contrarium Accur. *in l.* 2. *Cod. de pact. qui fil. distr.* quem sequitur Jas. *in l. in suis num.* 28. sed rejiciunt cæteri, ut constat ex Pinel. *in* 2. *part. Rub. Cod. de bon. Mat. num.* 35. Cujac. *sup. Molin. lib.* 4. *de primogen. cap.* 5. *num.* 13. Covarrub. 3. *var. cap.* 14. *n.* 4. somniet) pignori dare, Constantini Imperatoris sanctio *l.* 2. *C. de patribus qui fil. distrax. l.* 8. *& 9. tit.* 27. *p.* 4. his verbis concepta permittit. *Si quis propter nimiam paupertatem, egestatemque, victus causa filium, filiamve sanguinolentus vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem, &c.* Quo tamen in loco vulgata lectio mendosa videtur, & verbum, *sanguinolentus*, non ad patrem,

trem, sed plurali numero *sanguinolentos*, ad filios referendum, & recens natos, adhucque sanguine materno madentes interpretandum, ut jam pridem multi magni nominis viri animadverterunt. Pinel. & Covarrub. *sup.* Alc. *lib.* 1. *de verb. sig.* Cujac. *in parat. C. de inf. expos. & his qui sanguinolentos nutriendos acceperunt*, Gilberi. Rheg. *lib.* 1. *Enantiph. c.* 21. P. Fab. 1. *sem.* 6. Neque mirum si famis & necessitatis ratione, hoc parentibus permiserint jura, nam id à paterna pietate nequaquam alienum videtur: cùm satius sit eo modo patrem sibi simul & filio prospicere, quam utrumque maximo famis dolore, quem Menandet miserrimum vocat, perire. Unde Nehemiæ quinto capite populus fame oppressus, sic inquit: *Filii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & bibamus.* Et Eusebius *lib.* 9. *Histor. Eccles. cap.* 8. refert, tempore Maximiani Imper. multos parentes filios suos vendidisse. Et Erisichthon postquam integrum patrimonium luxuriosè profudit, tandem & filiam, ut fami succurreret vendidit, ut tradit Ovid. 8. *metam.* his verbis.

Et tandem demisso in viscera cultro,
Filia restabat, non isto digna parente,
Hanc quoque vendit inops.

Extat etiam (ut alia quæ in hanc rem ex Tiraquel. *lib.* 1. *de retr.* §. 26. *glos.* 1. *num.* 14. Ascan. Clem. *de patr. potest. effect.* 1. *num.* 2. Piso. Soac. *in* §. 1. *inst. de patr. potest.* acceperunt, silentio præteream) facetissimum apud Aristophanem *in Acar.* de Megarensi quodam exemplum, qui optionem filiabus dabat, vellentne vendi, an potiùs domi fame perire, Græcè quidem, sed in hunc sensum.

Verùm ô improbæ puellæ miseri patris
Accendite ad cibum, si quid inveneritis alicubi,
Audite tunc, convertite ad vos ventrem,
Utrùm vendi mavultis, an esurire malè?
Puell. *Vendi, vendi.*

CAPUT VIII.

Jus occidendi filios olim parentibus datum, posterioribus legibus ademptum, nec nisi modicam coercitionem, aut exheredationis remedium illis relictum. His supplicitis parentes erga filios contentos esse debere, Senecæ, Ambros. Salvian. & aliorum verbis ostensum. Trajanum filium, quem pater severè nimis tractabat à patris manu liberasse, id jure factum, ut Papin. refert. Cujus verba cum Hotoman. & Petr. Fab. emendantur, quamvis Cujacius emendationem non probet. Patrem filium sibi reluctantem judicibus offerre debere. Multis hoc juribus comprobatur. Sed præcipuè Ulpian. responso in l. 2. *de sicariis. De ejus interpretatione latissimè agitur. Neminem indicta causa damnari.*

QUemadmodum vendendi, ita & occidendi filios potestas, novioribus legibus angustata videtur. Undè quæ de hac re tractant Jurisconsultorum & Imperatorum responsa, præteriti duntaxat temporis meminerunt. Nam cùm patria potestas, ut Marcian. *in l. Divus ad l. Pomp. de parric.* ait, *in pietate debeat non in atrocitate consistere*, & ex Antonini constitutione, neque in proprios servos sævire ultra modum licuerit, justissimè immanis illa barbaries in parentibus etiam coërcita fuit, *l.* 1. *cum seq. de his qui sunt sui* §. 1. *inst. eod.* tradit Alex. ab Alex. 3. *gen. c.* 20. Quam ob rem sicuti emendare pater filium jure patriæ potestatis non prohibetur, *l.* 3. *C. de patr. potest. l. unic. C. de emendat. propinq. l.* 8. *& 9. tit.* 8. *p.* 6. cum latè adductis à Pet. Fab. 3. *semestr. c.* 16. Menoch. *de arb. casu* 364. sic atrociter in eum animadvertere jura non patiuntur, *leg.* 3. *& 4. C. de patr. potest.* Nam ut ait Salvianus *lib.* 3. *ad Eccles. cath. pag.* 387. *& in epist. ad Hypat. pag.* 301. *Pro magno peccato paulum supplicii satis est patri, & nihil de ultione perdit filio ignoscens, quia felicius multo est, & laudabilius, mitè aliquem etiam immeritò ignoscere, quàm in suos etiam meritò vindicari*, & Plinio teste *lib.* 9. *epistol.* 21. *Tunc præcipua est mansuetudinis laus, cùm iræ causa justissima est.* Deberque naturalis parce in irrogandis supplicitis cœlestem imitari, qui ut Tertul. ait *lib. de pœn. Cùm provoluit, hominem magis relevat, cùm accusat, excusat cùm condemnat, absolvit.* Inde est ut neque abdicatio quæ Græco more ad alienandos liberos usurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus (ut Dioclet. *in l. abdicatio C. de patr. potest.* statuit) comprobaretur: neque patri præter modicam castigationem, alius læsæ pietatis vindex, quàm exhæredatio, superesset. Unde D. Ambrosius *lib.* 5. *epist.* 28. *Usu humano* (inquit) *hæreditatis pecuniariæ gratia facit, ut venerabiliora fiant jura pietatis. Quia hoc quoque plus defertur parentibus; ne læsa pietas patris ulciscatur se exheredatione contumacis pignoris* & Quintilianus *decla.* 259. *Fulmen istud patrum adversus ferociam adolescentiæ datum est, adversus filios, qui precare plus possunt.* Quo ex fonte jam planè percipimus, cur in Paulani responso *in l. fin. si aparent quis fuer. man.* ex Trajani rescripto coactus fuerit pater filium emancipare, quem malè contra pietatem afficiebat, & omnino à filii bonis exclusus ex Neratii Prisci & Aristonis consilio, propter solvendæ pietatis necessitatem: quippè quia licet nemo filium emancipare compelli soleat, *leg. neque avus C. de eman. lib.* qui tamen malè utitur jure potestatis in filium sibi concesso, eo beneficio se prorsus reddit indignum *c. ut privileg.* 24. *de privil.* & quemadmodum dominus, qui nimis in servum excandet, vel ancillæ pudori non parcit, cogitur illum, illamque bonis conditionibus vendere. *Expedit enim,* (ut Justinianus ait *dict.* §. 1. *de his qui sunt sui, l. si lanones, C. de ep. aud.*) *ne re sua quis malè utatur: ita & pater filium*, in quem tyrannidem potiùs quàm potestatem exercet, cùm vendere non possit, manumittere omnino rectissimè cogitur. Filii namque custos potiùs debet

bet esse quàm carnifex, ut Senec. *lib. 3. de benef. cap.* 11. ostendit, dum inquit: *Et quia utile est juventuti regi, imposuimus illis domesticos magistratus sub quorum custodia contineantur.* Sed & tradit in hanc rem alia eruditissimus Petrus Faber *ubi sup.* qui in supradicto Papiniani loco, posteriora verba mendosa esse existimat, & ex notarum similitudine, & ejusdem nominis repetitione deceptum librarium *solvenda pietatis*, scripsisse, ubi *potestatis* scribere debuerat. Quam emendationem sibi etiam arrogat Hotomannus, *in §. sed & major. Inst. de his qui sunt sui enun.* 2. Cujacius autem *in l. quidam cum filium* 132. *de verbor. & in oper. posthum. ad Papin. in d. l. fin. & in not. solem. ad eandem & in not. ad d. l. divus* communem lectionem retinendam esse contendit; eò quod potestas patria leviori vocabulo pietas interdum dicatur, & ut Tertull. *in apolog. c.* 34. scribit, *Gratius sit vocabulum pietatis quàm potestatis.* Sed mihi Fabri, & Hotomanni conjectura non displicet, nam non ita aptè solvi pietas dicitur, ut potestas, *Tit. inst. quibus modis jus potest. solvitur* quin potiùs pietas cum naturaliter debeatur, nullo juris civilis figmento, nulla emancipationis solemnitate tolli potuit aut solvi §. *minus ergo, inst. de hæred. quæ ab intest. l. eas* 8. *de cap. dim.* Rursus ex eisdem etiam principiis cognoscimus quanam ratione pater, ubi filius contumax, & protervus persisteret, nec paterna admonitione ad debitum obsequium, & pietatis officium adduci potuerit, in illum durius animadvertendi facultatem non habeat, sed præfecto urbi, vel præsidi puniendum ex Alexandr. & Valeriani Imp. sanctionibus auferre teneantur, *l.* 3. & 4. C. *de pæn. post. l. un. C. de emen. proh.* Quod & vetusta Mosis lege, *Deuter. c.* 21. *in fin.* quam optimè Josephus *lib. 4. Jud. antiq. c.* 8. explicat, eamm invenimus, & Jurisconsultorum tempore etiam observatum videtur. Nam Macer. *in l. mil. agrum, §. desertorem de re mil.* (ex quo notant interp. filium delinquentem à patre oblatum, mitiùs puniendum), vide Tiraq. *de pœn. temp. caus.* 8. & Pinel. 2. *p.* Rub. C. *de bon. n.* 32. quamvis hoc non admittat Mendoz. *lib.* 1. *de pact. c.* 1. *n.* 33. Sed contr. probat Dec. 2. *crim. lib. 9. cap. 6. num.* 4. patrem quemdam, desertorem filium puniendum judicibus obtulisse, quem D. Pius in duriorem militiam dari jussit. Et Ulpianus *l.* 1. *de obsequiis* tradit, quod si filius patrem & matrem quos venerari oportet, contumeliis afficit, vel impias manus eis infert, præfectus urbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicare debebit. Id enim in filiis ut in servis observari solere, ex variis juris nostri locis colligimus *l. eleganter* 24. §. *fin. de pign. act. l. nec quicquam* 9. §. *de plano de off. procons. l.* 1. §. *cum patronus de off. præf. urb.* Et ex eo præcipuè, quod disertis verbis scribit Ulpianus *in l.* 2. *ad l. Cornel. de sicar. Inauditum filium patrem occidere non posse, sed accusare eum apud præfectum præsidemve provinciæ debere.* Ubi tamen Accurs. ridiculas admodum illius verbi *inauditum* comminiscitur expositiones; inter quas, ea, & interpretibus cæteris communiter placet Bartol. Angel. Hippol. & Budæo *ibi*, Pinel. *d. 2. part. Rub. C. de bon. num.* 18. Bris. & Prat. *verb. inauditum*, & verò propius videtur accedere, quæ verbum illud, pro non accusato sumit, proque eo cujus audiræ priùs defensiones non fuerint, quem Græci ἀκρατον vocant. In quo sensu Cujac. *lib. 4. obs. c.* 12. & 6. *cap.* 17. & *in op. postul. de patr. potest.* etiam semel & iterum Ulpianum accepit, in ejus confirmationem Tacitum 4. *annal.* laudans, dum simili loquendi genere *inaudito*, inquit, *filio exitium offerri.* Voluerunt quippè jura noviora, etiam in filio à patre occidendo, legem illam antiquam duodecim tabularum servari, quæ neminem inauditum, & indemnatum, incognita, inductaque causa occidi jubebat. Ad quem respiciens Salvianus Massilien. Episc. *Interficî* (inquit) *indemnatum quemcumque hominem etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt.* Et Divus Augustin. *1. de civit. Dei. Vos appelo leges, judicesque Romani, nempe post patrata facinora, nec quemquam scelestum indemnatum voluistis occidi.* unde Cicero *act. 2. in Verrem* (vide alia in hanc rem latè congesta à Simanc. *in cath. inst. tit.* 2.) inter cætera quæ Verri objicit crimina. *Honestissima*, ait, *atque integerrimi absentes rei facti, indicta causa damnati, & ejecti.* Et Quintus Curtius *lib.* 8. de Callisthene loquens, nullius cædem majorem Alexandro invidiam excitasse scribit, *Quam quòd virum optimis moribus, artibusque præditum, non tantùm occidere; sed etiam torquerit indicta quidem causa.* Et Simmachus ad Theodosium, & Arcadium scribens *lib.* 10. *epist.* 47. *Quæso igitur* (inquit) *ne in contumeliam judicii vestri, & juri, & innocentiæ fraus paretur: quando enim absentibus, atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis unquam sententiam numinis vestri inauditus excepit?* Quamvis Cicer. 1. *de legib.* Dictatori hoc concessum recenseat, *Ut quem vellet civium indicta causa impunè posset occidere.* Sed verò licèt hæc, his auctoribus placeant, mihi tamen probari non possunt: nam juxta ea non malè quis dixerit, auditum, & damnatum filium à patre interfici posse, quod Ulpianus à contrario innuit, & superiori interpretatione retenta Budæus *sup.* & Corrasius *in l. filium quem n.* 80. *C. fam. ercis.* admittunt. Id autem quàm juris principiis repugnet, manifestum est: Nam posteriores leges semper jus potestatis minuerunt, & patribus non occidendi filios damtaxat, verum, & in eorum causis cognoscendi, & judicandi facultatem denegarunt, *l. qui jurisdictioni, ff. de jurisdict. omn. jud.* vid. Tiber. Decian. *lib. 9. crim. cap.* 8. *n.* 10. Quam ob rem licèt non inficier, verbum *inauditum* pro eo plerumque sumi, qui auditus, & defensus non sit: unde Marcian. *in l.* 1. *ff. de req. reis. Nec enim*, inquit, *inaudito causa quem damnari, aequitatis ratio patitur*, & Seneca *in Medea.*

Qui status aliquid parte inaudita alterâ
Æquum licèt statuerit haud æquus est.

Aptiùs tamen, & ad Ulpiani mentem accommodatiùs existimo *inauditum* non audientem, & paternis præceptis non obsequentem, & temperantem exponere. Nam & Nonius Marcellus *de verb. signif. pag. mihi* 128. *inauditum* (inquit) *quòd non audiat in veteribus prudentibus lectum est.* Et Græci Auctores *lib.* 60. *Basil. tit.* 39. ipsum textum interpretantes, inauditum scripserunt significare *inobedientem, sive contumacem*, quem pater sibi non parentem non potest, ut olim occidere, sed judicibus puniendum offerre tenetur. Quam expositionem licèt Jacob. Cujac. *d. lib.* 6. *obs. c.* 17. non probet, mihi tamen Ulpiani mens, & Eduardi Caldeiræ, *lib.* 3. *variar. lect. cap.* 3. qui eam sequitur, auctoritas, facili negotio suadet. Quod cùm non assequeretur Stephanus Forcat. *dial.* 81. & communi interpretationi ex superioribus argumentis acquiescere non posset, ineptè admodum tertiam Accursii expositionem amplectitur, & inauditum explicat, *pro impio, quique aliquid inauditum commisit*, initium quorumdam minimè id probantium argumento permotus; *l. valleolarum C. de fidei l. 4. C. de apost.*

CAPUT IX.

Adempta parentibus occidendi filios licentia, statim pœnas occisoribus irrogatas. Hoc jure, meritoque quodammodò in ipsorum parentum gratiam inductum. Ne ad exhæredationem quidem patrem sine magna causa accedere debere Ciceron. & Senecæ elegantissimis verbis ostentum. Erixonem equitem Romanum, & Quintum Fabium Servilianum ob filiorum cædes jam olim damnatos fuisse. Martiani sententia de patre, qui filium in venatione necavit, multis doctorum interpretationibus obscurata magis quàm exposita, latè explicatur, & novo, ac vero sensu donatur.

ERgo licèt olim de filio, ut de re sua, etiam abutendo, pater disponere posset, & illum concessæ sibi potestatis jure impunè interficere, *l.* 1. §. *per hanc de rei vind. l. verbis legis* 120. *de verb. sig. juncta. l. sed si lege* §. *consuluit de pet. hæred.* posteà tamen hoc crimen, restricto nimio parentum in filios imperio, & dominatione, non omnino inultum relinqui debere, prudentissimi Romanæ reipublicæ legislatores animadverterunt. Idque in ipsorum quodammodò parentum gratiam, qui cùm semper pro salute filiorum consilium optimum capiant *l. fin. C. de curat. furios.* & magis illorum, quàm proprijs doloribus afficiantur, *l. iteì quidem de eo quod met. caus.* non facilè, impunitatis spe, ad necem filiorum cujuslibet iræ, dicamne an furoris

causa, protrumpere debuerunt. Nam cum *nunquam* (ut Quint. *decla.* 374. ait) *leviter exacuderent patres*, cohibenda fuit illorum facultas, ne temerè gravitèr, & asperè in filios sævirent, quos posteà interfectos anxiè dolerent. *Certè* (inquit Salvian. *in epist. ad Hypatium, & quietam, pag.* 198.) *etiam si justas successendi causas parentes habeant, nihil contingere eis fœlicius, nihil optatius potest quam ut sic eis pro reatu filii satisfaciant, ne necesse habeant vindicare.* Et Sen. *lib.* 2. *contr.* 2. *Fili* (ait) *nonne sæpe exacuisti, sæpe reconciliatus sum, sæpe quod negaveram dedi?* Quod si exhæredationis potestas nonnisi ex magna causa parentibus data fuit, ac concessa, & omnia tentare pater debet, antequàm ad ultimum illud remedium accedat, quia ut ait Seneca *l.* 1. *de clemen. ca.* 14. *Numquid aliquis suum filium, à prima offensa exhæredat? Nisi magna, & multa injuriæ pœnitentiam exercerint, nisi plus est quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium stylum: Multa ante tentat quibus dubiam indolem, & pejore loco jam positam revocet, sicut deplorata est, ultima experitur.* Et Cic. *pro Ros. Amer. Magna oportet esse vitia, atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo, ut denique patrem esse sese oblivisceretur.* Merito interficiendi filii facultas omnino prohiberi debuit, & filicidium (ut ita loquar) severissimè: unde Seneca *lib.* 1. *de clemen. c.* 14. refert Erixonem quemdam equitem Romanum in foro graphis à populo confossum fuisse, quia filium flagellis occiderat. Et Paulus Orosius scribit de Q. Fabio Maximo Serviliano (nam verisimile est hunc fuisse, de quo & Valerius *lib. 6. cap.* 1.) die dicta, Cneoque Pomp. accusante, Romæ damnatum fuisse parricidii, quòd filium adolescentem, quem antèà rus, causa impudicitiæ, relegaverat, interfecisset. Et D. Adrianus ut à Marciano *in l. Divus* 5. *ff. ad l. Pompejam de parric.* nominatim proditum est, *patrem in insulam deportavit, qui filium suum, qui noverecam adultreabat, in venatione necaverat; quòd latronis magis quàm patris jure eum interfecisset.* Quo tamen in loco est quòd paruimper subsistamus, & diligenti inquisitione, verum Marciani sensum perscrutemur. Nam interpretes vix est, ut illum percipere queant, dum dubitant, quid esse in causa potuerit, cur eo tempore, quo jam erat sublata filios occidendi licentia, pater, qui filium necavit, non parricidii sed leviori deportationis pœna damnetur? Et sunt qui putent, patrem in flagranti adulterii crimine deprehendisse filium, & occidisse, atque ideò mitiori pœna punitum. Paul. de Castr. *in l. in suis num.* 4. & post Hyp. *in d. l. divus* aliquid enim tam justo dolori condonari debuit l. Grach. C. *ad leg. Jul. de adult.* Alii quibus verisimile non est, filium in ipsa venatione novercam adulterasse, delictum quidem hoc anteà commis-

sum fatentur. Glo. & Bart. & Alb. *ibi* Pet. Tiber. Decia. *lib. 9. crim. c.* 8. *num.* 11. ideo autem leviori pœna affici patrem, quòd in eum filius justam exhæredationis causam perperasset. Unde regulam generalem multi conficiunt Jas. *in l. jus civile, num.* 28. *de just. & jur.* Mant. *sing.* 155. & alii relati à Menoch. casu 356. & Carrer. *in prax. fol. mihi* 220. Tiber. Dec. *sup. cap.* 15. *num.* 26. ut quotiescumque pater filio, vel filius patri, ita ingratus extiterit, ut possit secundùm prætinitam legibus formam exheredari: Auth. *ut cum de appell.* §. *aliud quoque c. coll.* 8. possit quoque citra ordinariam parricidii pœnam interfici. Alii verò patriæ potestatis qualem qualem contemplationem & præteritæ injuriæ dolorem Adrianum ad diminuendum supplicium movisse ajunt Anton. Gom. *in l.* 80. *Taur. num.* 59. *vers. vel aliter & tertio* cum in patre eo casu non tam castigatio & animadversio filii, quàm excessus puniatur. Quæ tamen omnes interpretationes, mihi parum ad Marciani mentem accedere, & redditis ab eo rationibus convenire videntur: Nam cum dicat ideò deportatione damnatum patrem, quòd filium in venatione latronis magis quàm patris jure interfecerit, insinuat quodammodo, etiam tunc necem jure patrio irrogatam, nullo supplicio vindicari. Quare his relictis, & damnata etiam Forcatuli *dial.* 81. *num. fin.* sententia perperam existimantis limitatio patriæ potestatis jure, in duobus adhuc casibus patri liberorum necem permissam. nempe si filiam in adulterio deprehenderit *l. nec in ea de adult.* vel si novercam à filio adulteratam sciat, & illum jure patris occiderit: in Marciani autem responso ideò à D. Adriano in insulam deportatum, quòd magis id latronis quàm patris animo fecerit. Ego præter omnium mentem existimo doctores monstrum sibi confinxisse, quod superare numquam potuerunt, dum sibi persuadent, mitius quàm oportuisset, patrem ab Adriano fuisse punitum, non satis animadvertentes, ultra filios qui matrem, patrem, avum, aviam, & alios ex ascendentibus occidissent, reliquos, qui sibi deorsum, aut transversum conjuctas personas necassent, licèt parricidium committere dicerentur, non tamen cullei pœna, sed ea quæ fuit legis Corneliæ de siccariis coerceri, ut expressè Marcian. *in l.* 1. *de parric.* ostendit, dum ait: *Ut pœna ea teneantur, que est legis Corneliæ de siccariis*, Et expressius Modestinus, *in l. pœn. 9. vers. qui alias, de parric.* qui postquàm more majorum parentum interfectores culleo & serpentium contuberniis puniri dixerat, ita subdit. *Qui alias personas occiderint præter patrem, & matrem, & avum, & aviam, quos more majorum puniri suprà diximus, capitis pœna plectantur, aut ultimo supplicio macentur.* Quod cùm ita sit, & legis Corneliæ de siccariis pœna in honestioribus deportatio in insulam fuerit, ut Marcianus testatur *l. 3. §. legis ff. ad l. Cor. de sicar. l. qui cædem eod. tit.* jam satis liquido constat, Divum Adrianum ordinariam, & communem homicidii pœnam, & capitale supplicium, quod aquæ & ignis interdictionem, sive deportationem significat (*l. 2. de pub. jud. l. dicto §. vel capitalis de bon. pate. l. 2. §. capitalium de pœn.* cum notatis à Ræu. *lib. 3. var. cap.* 19. *& lib. 4. cap. 6.* Pet. Fab. *lib. 2. semestr. c.* 12.) irrogasse: nullo patriæ potestatis respectu habito, quæ magis debuit in pietate, quàm in atrocitate consistere: nulla etiam adulterii, cum noverca filio commissi, contemplatione, cùm pater non solemni modo, & accusato coram judicibus filio (quod fieri debuisse suprà retulimus) hanc fuerit ultus injuriam sed latronis more, clanculum in venatione, & per insidias filiùm necaverit. Præsertim cum neque in ipso adulterii crimine deprehensum occidere posset, quippè quia filius ex illis personis non esset, quæ lege Julia de adulteriis impunè à marito occidi permittebantur, ut & Macer. *in l. marito* 24. *ad l. Jul. de adul.* ostendit, & nominatim doctissimus Jacob. Cujac. *lib. 6. obser. c.* 17. *in fin.* observat. Neque mirum si Adrianus invitum hoc patris facinus relinquere noluerit, qui Lampridio teste *in Adriano, facit l. servos* 5. *de accus. l.* 2. *de his qui sunt sui*, necdum filios à patribus, verùm & servos à dominis occidi vetuit, eosque jussit per judices omnino damnari. Quibus accedit malitiam patris, & insidias non posse impunitas relinqui. Nam, ut inquit eleganter Rufinus in Simbolo. *Occidere hominem non semper criminosum, sed malitia occidere in legibus criminosum.*

CAPUT X.

Constantiniana primùm sanctione cullei pœnam, quæ olim in liberos, in parentes etiam liberorum interfectores porrectam. Gravissimum esse delictum filios occidere. De filiorum amore plura. Eorum vitam parentibus propria cariorem. Eis omnia ex voto parari. Participes filii eur Terentio dicantur. Pro salute filiorum religiosè juratum. Ut superstites parentibus essent, & eorum oculos clauderent frequenter vota concipi. Hinc superstitiosi nomen. De more operiendi oculos mortuorum obiter nonnulla. Dolorem parentum in filiorum obitu, & pro eorum salute sollicitudinem epitaphiis, & animalium exemplis ostensum. Plato qualiter, qualiter Ægyptii filiorum occissores punierint. Nullum majus tormentum inveniri quàm filios in parentum conspectu neeare.

MAximum itaque parentum vitæ, & necis in liberos jus ademptum constitutionibus fuisse, satis ni fallor ex superioribus constat. Sed usque ad Constantini tempora filiorum cædes, ordinaria homicidii non peculiari & extraordinaria cullei & serpentium pœna vindicabatur. Primus ergo Constantinus in

in l. un. C. de his qui par. & post eum alii. Impp. Just. *in §. alia deind. inst. de pub. jud.* Alfonsus nostet *in l.* 1. 2. *tit. part.* 7. (Vide Tiber. Decian. *lib. 9. crim. cap.* 8.) & Principes, parricidii nomen & supplicium more majorum descendentibus dumtaxat irrogarum, in ascendentibus, qui suam prolem morti dedissent, æqua lance observari sanxerunt. Idque jure sanè optimo, cùm non minor parentum in filios amor & caritas, quàm filiorum in parentes pietas esse debeat: sed major potius, quo magis natura ipsa, ut Arist. 2. *magn. mor. cap.* 12. tradit patres in filiorum amorem, tanquàm in actionem, & finem sui, totis animis devehuntur. Qua de re cùm graviter & eleganter Apollonius apud Philostratum *in vit. Apoll. lib. 2. cap.* 7. & Plutarc. *lib. de amor. parent.* disserat, & Tiraquel. *in l. si unquam in prin. ex num.* 1. *usque ad* 37. & Petrus Gregor. *in prælud. lib. 5. cap.* 7. copiosè multa, uti assolent, in unum congesserit, non est cur ego immorati nunc debeam, & illorum paginis (quod impudenter alii fecerunt *cap.* 22. *n.* 24. Ascen. *Cle. pat. potest. cap.* 4. Con. *quæst. juris c.* 15. *num.* 27.) meas paginas confercire. Præsertim cùm tacentibus etiam nobis, parentum erga filios caritatem, & natura ipsa satis commendet & ejus inditum nomen ostendat. Filii namque, à *fovendo* dicuntur, ut cum Accurs. *in 5. fin. verb. appellantur Inst. qui test. tut.* & alii relati à Rojas *in epit. success. c.* 2. *num.* 5. Tiraquel. *sup. num.* 11. nostro alii communiter prodiderunt, quòd amorem & affectum significat, aut à verbo *φιλεω* hoc est, vehementi affectione, & summo amore appellantur, ut Alciat. *in l. filii apellatione* 84. ubi Bræqueus *de verb. sig.* Connan. *lib.* 10. *com. cap.* 1. Rebuf. *in l. liberorum vers. præter hæc omnia, de verb. sig.* Connan. & eruditiores alii testantur: Unde nullum nomen dulcius, nullum amantius quàm filii, Calistratus *d. l. liberorum* docet, & Latinus Pacatus *in Panegyr. ad Theod. instituente* (inquit) *natura plus ferè filios, quàm nosmetipsos diligimus.* Cicer. 3. *de finibus* etiam ex forma, membrisque corporis intelligi ait, naturam ipsam procreari liberos voluisse, & diligi deinceps procreatos, & Just. Imp. *l. fin. C. de curat. fur.* nullum affectum, nullum extraneum amorem reperiri posse tradit, qui paternum vincat, pro quo, ut & Paulus *in l. isti quidem de eo quod met. caus. §. fin. Instit. de noxal.* scripsit; magis in liberis quàm in se ipsis terrentur. Sed & naturalem hanc in liberos propensionem & curam elegantissimè, ut solet reliqua, Seneca *lib. 6. de beneficiis cap.* his verbis expressit. *Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium diligenti cura fovent, ut ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringant, & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad ultimum audacem juventam fragilitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactum applicant. Itaque beneficiorum maxima sunt quæ à parentibus accipimus, dum aut nascimur, aut nolumus.* Et Cassiodorus non minus eleganter. *lib. 2. var. epist.* 14. *Nutrimentum* (inquit) *à parvulis, ipsis laboratur, ipsis divitiæ conquiruntur, & cùm sibi unusquisque credat abundare quod possidet, cùm à patribus adhuc quæritur, pro altera patius ætate percatur. Maria ipsa sævis tempestatibus excitata, genitoris cura non refugit, ut peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat: pro qua subire non recusamus exitium.* Quod nec nostri juris auctores, *l. penul. de bon. libert. l. nam, & si de in ff. l. cum ratio de bon. dam. l.* Julianus *si quis omiss. can. test. l. de emancip. C. de legit. hæred.* omisisse videntur, apud quos passim parentes ex naturali voto liberis sua omnia parare, dicuntur, & dulci officio fungi, cùm illos hæredes scribunt. Ita Imp. Ant. *in l.* 1. *C. de his qui sibi scribunt.* Nimirum quia ut ait Seneca *lib. 2. cont. 1. Quid tandem misera ista divitiæ expetuntur? sint in hoc quidem ut liberis relinquantur.* Quam ob causam hunc communem & naturalem in filios amorem sentiens Menander, *O filii* (inquit) *quantum estis philtrum humanæ menti*, Et patet apud Terentium *in Heautont.* qui de filii salute solicitus ait:

Ne fas est me ulla voluptate perfrui
Nisi ubi huc ille salvus venerit
Meus particeps.

Vocat autem participem filium, quòd olim (ut ex Cicerone, Hotom. *in l. in suis de lib. & post.* ostendit) patres præ nimio in filios amore, & indulgentia, vivi adhuc, cùm eis bona partirentur: unde & condomini à Paulo *in l. in suis de lib. & post.* appellantur, & ab Ausonio *idyl.* 4. dum ait:

Justa quidem series patri succedere, verùm
Esse simul dominos gratior ordo piis.

Quin & nullum sanctius, nullum firmius censetur jusjurandum, quàm quod pro filiorum salute concipitur, nullum etiam frequentius quàm quod ut nobis superstites sint, aliquid vovere solemus. Id quod optimè Plinius *lib. epist. fin. lib.* 2. insinuat, dum de insigni illo captatore Regulo loquitur, qui concepto per filii salutem juramento, quemdam fefellerat. *Clamat* (inquit) *moriens; o hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quàm perjurum, qui tibi per salutem filii peierasset.* Ostendit etiam Terentiana *in Heaut. act. 5. scen.* 4. Sostrata, quæ Clitiphonti filio dejerat, hoc modo. *Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque hoc natus est.* Apud Senecam *lib. 9. contr.* 4. quoque patris jusjurandum his verbis concipitur: *Ita mihi superstite filio mori liceat*, Et *lib. 9. contr. 4. Ita mihi libero & vivere contingat, & mori. Ita oculos meos filii manus operiant.* Quo loci, quod Seneca de operiendis oculis ait (ut obiter animadverramus) ad Romanorum morem spectat, apud quos C. Plinius magno ritu sacrum fuisse ait, ut morientibus oculos operirent. Quo nomine, ut ex Plutarch. refert Petrus Crinitus *de honest. disci-*

epist. lib. 18. cap. 12. infelices eos vulgo vocitare solemus, quorum oculos, propter absentiam, parentes vel filii obtegere non potuerint. Apud Quintilianum *decl. 6.* etiam pater ille proclamat, *O quam grave est mori quanto gravius quòd ego vivo superstes filii mei.* Et Cicero *lib. 2. de nat. Deor.* quamvis à Lactantio *divi. inst. lib. 2. cap. 48.* reprehensus, inde superstitionis, & superstitiosi nomen provenisse testatur, quòd essent multi, qui toros dies precarentur, & immolarent, ut sui sibi filii superstites essent. In epitaphiis quoque maximi hujus erga filios amoris, & communis parentum voti, ut sibi filii superstites sint, multa testimonia à Romanis relicta ex his constat, quæ diligentissimus Brisonius *7. de form. pag. 797.* congessit. Quorum tamen duo transcribam, quæ apud Cujacium *lib. 8. obs. c. 23.* etiam reperiuntur: Et primum eo libentius, quòd excellentissimi & acutissimi Jurisconsulti Papiniani nunquam sine honoris titulis laudandi (Prout & faciunt Impp. *in l. cum acutissimi, & in l. cum virum C. de fideicommis. & in l. 1. vers. sed neque C. de vet. jur. enucl.* & alibi passim) fuerit, ejus monumento in hæc verba à parentibus possitum.

ÆMILIO Paulo Papiniano Præfecto Prætorio Jurisconsulto, qui vixit annos xxxvj. dies x. menses III. Papinianus Hostilius Eugenia gracili turbato ordine, in tenio, heu parentes fecerunt Filio optimo. Aliud sic habet.

Infelicissimus parens adflictus præ posteritate Naturæ, Filium hoc tumulo condidit, quem importuna, Mors ademit, Prærepsitque senili baculum, cui jam defessa ætas adnitens, Per breves annos suos alleuabat, nunc ante mors adsequitur quam tristes lachryma deseruerint.

Quæ cum ita sint, nemo ibit inficias, justis de causis parentes, qui filiorum fata properaverint, quorum vitam cupere, fovere & propriæ vitæ dispendio curare debuissent, Constantini lege, aspertimo parricidarum supplicio damnari. Quid enim non illi patiantur, qui plus nimio duri proprios filios negligunt, & immoderata austeritate eos occidunt, pro quibus non secus ac pro aris & locis dimicare tenebantur? & qui naturam, non dicam hominum, sed omnino ferarum exuisse videntur? Quæ ut rectè considerat Petrus Gregorius *lib. 36. syntag. cap. 24. num. 22. & in præl. lib. 6. cap. 7.* & omninò Philost. *in vit. Apoll. l. 2. c. 7.* pro suis maximè catulis occumbunt. Delphines enim ita fœtus diligunt, ut eos sequantur, & una ideo cum illis (Æliano referente *1. de animal. c. 18.*) capiantur. Avis etiam, vulpanseris nomine, meminit Horus Appollo *in liter. hieogl.* si quando eam venator cum parvulis insequatur, patrem & pariter matrem, ut serventur parvuli, se ultro venatoribus dare. Extat quoque pulcherrima apud Lucretium *lib. 2. de natur. rerum.* dolentis vaccæ de vitulo amisso descriptio, & apud poëtam Papinium.

= *Aspera Tygris*
Fœtibus abreptis, Scythico deserta sub antro,
Accubat, & tepidi lambit vestigia taxi.
Eilea, quam sævo fœtam prestere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta superstat,
Mente sub incerta torquens, ac miserabile frendens.
Illa quidem turbare globos, & frangere morsu
Tela quarit, sed partus amor, crudelia vincit
Pectora, & in medios catulos circumspicit ira.

Unde nihil certè gravius habuit Æschines *in orat. cont. Cthesiph. & Demosth.* quod exprobraret Demostheni, quàm quòd statim post filii mortem, candida veste indutus luctum neglexisset: adjiciens, cum, qui filios aut contemnit, aut odit, neque probum esse, neque bonum populi gubernatorem futurum. Iob (*cap. 39.* Pier. Valer. *in Hierog.*) quoque hujusmodi homines Struthioni avi comparat, cujus maxima est erga proprium fœtum oblivio, *Duratur* (inquit) *ad filios suos quasi non sint sui, privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Quare Plato *lib. 34. dialog. 9. de leg.* nequaquam illatam filiis à parentibus cædem inultam relinquendam existimavit, quin potius suis legibus cavit, ut si pater aut mater (accidit quamvis rarò) per iram verberibus, vel alio modo filium, vel filiam interficiat, perinde ac cæteri homicidæ purgetur, & triennium exulet, ac post ipsam restitutionem maritus ab uxore, uxorque à marito separentur: nec simul amplius liberis procreandis operam navent: neuterque horum simul habitet, vel una cum eo sacris communicet, Ægyptiorum etiam legibus, ut Diodorus *lib. 1. Blib.* refert, pater filii interfector eo supplicio affici jubebatur, ut tribus diebus, noctibusque palam & observante eum militari manu, circa interempti filii cadaver assisteret. Æquum non putantes eum liberorum causa vitam perdere, cujus ipse liberis actor fuisset, sed dolore, & pœnitentia facti affligendum. Qua pœna, licèt levis prima facie videatur, *Siculi non invenere Tyranni tormentum majus,* cùm ob nimiam naturæ necessitatem, & parentum in filios amorem, lugrube illud trium dierum spectaculum, & sceleris proprii conscientia, prorsus patri perniciem sit allatura, nam ut ait Euripides *in suppl. act. 5. vers. 128.* in supplicibus. *Nullum cruciabilius malum inveniri potest quàm filium mortuum conspicere.* Et ut rectè Seneca *in Hippol.*

O nimium potens
Quanto parentes sanguinis vinculo tenes
Natura! quàm te colimus inviti quoque?
Occidere volui noxium, amissum fleo.

Quò forsan respexit Lucianus in Tyrannicida, ubi Tyranni filium, qui interfecerat, præmium quoque pro patris morte exposcit, quam is præ dolore sibi conciverat, verba autem hæc sunt. *Cum duos eodem die Tyrannos occiderim, unicum tamen pro ambobus præmium petitum venio, qui quidem unus omnium quotquot unquam Tyrannicidæ fuerunt, unico vulnere duos maleficos fuerim amolitus, necique dederim, filium videlicet ense, patrem ingenti caritate, qua filium adamabat. Itaque Tyrannus pro his, quæ*

quæ commisit, magnas pœnas nobis dependit, quippè qui & vivus aspexerit filium prius morte sublatum, & quod est omnium maximè novum, compulsus sit denique ipse sui Tyrannicida fieri. Sicque ut Petrus Victorius scribit *variar. lect. cap. 8.* nullam multi magis diram, plenamque odii rationem, quam animum suum in ulciscendis injuriis, satiare possent, judicarunt, quàm filios in ipsorum parentum conspectu trucidare. Legimus enim apud Demosthenem contra Aristocratem, Cardianos, ut supplicio acerrimo afficerent Miltocytem Thracem amicum Atheniensium, primum filium ante patris oculos in navi jugulasse, & è navi in pelagus projecisse, Ferrur etiam Plutarcho teste Stratesicleam Spartiatam mulierem, cum filio captam, tortores rogasse, ut prior filio necaretur, sed ut crudelius vexaretur, non obtinuisse, & apud Virgilium 2. *Æneid.* Priamus non de cæde filii Neoptolemum accusat, sed quòd ante patris oculos occidisset, sic inquiens.

Ecce autem elapsus Pyrri de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela per hostes
Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat.
Saucius illum ardent infensum vulnere Pyrrus
Insequitur, jam, jamque manu tenet, & premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit, & ora parentum
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Primus quamquam media jam morte tenetur
Non tamen abstinuit, nec voci, iræque pepercit,
At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,
Dii, si qua est cælo pietas, quæ talia curet,
Persolvant grates dignas & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.

Sed neque abest Astyagis Persarum regis factum, qui ut Herodot. & Justin. *lib. 1.* recensent, nullam in Arpagum ob servatum nepotem Cyrum, majorem ultionem invenit, quàm ejus filium occidere, patrique epulandum offerre: Et Cambisis, qui ut refert Crinit. *lib. 6. cap. 2.* Traxaspi infestus, quod eum temulentiæ, & ebrietatis accusare ausus fuerat, filium ipsius presente patre in medium procedere, sublataque super caput sinistra manu, procul consistere jussit: & interim capiens arcum, intendensque illum: probabo, inquit, nunc falsum esse quod objurgas, & in cor ipsum adolescentis, aciem simul ac spiculum direxit, eumque pro libidine fixit. Unde hoc naturæ tributum solventes Ægæus, Gordianus, Melisus, Seedasus, Octavius Balbus, & alii plurimi sexus utrlusque parentes, quorum passim auctores (Valer. *lib. 5. cap. 7.* Plutarc. *in amator. narrat.* Leonicus *de var. hist. lib. 2. cap. 10.* Tiraq. *in d. l. si unquam in princ. n. 8.*) mentionem fecerunt, filiorum mortes præ mœroris magnitudine non sustinentes, amplius in vivis agere noluerunt, & nimia erga filios indulgentia, in se ipsos manus injicere non dubitarunt. Et apud Quintilianum *decl. 11.* cùm filii pauperis ad supplicium peterentur, pater sese obtulit, illos vicaria morte servaturus. *Quod* (Inquit ipse) *qui miretur non habet liberos.* Non absimili ab Agesilai dicto, ratione, quem, cùm quidam arundini insidentem, & cùm filio equitantem vidisset, nimiamque indulgentiam tanquam regè indignam reprehenderet, Nunc tace, dixisse fertur Agesilaus, quoniam non habes liberos, cùm verò & tu pater evaseris, tunc etiam patres imitaberis. (Plutar. *in ejus vit.* Bellengard. *verb. pater.*) Quo ex fonte illa fluit frequens in nostrorum doctorum libris cautela, ut si pater simul cum filio de aliquo delicto fuerit accusatus, neque appareat, quis eorum delictum commiserit, prius filius; inspectante patre, quæstioni, & tormentis subdatur, ut sic pater ejus dolore commotus, statim veritatem aperiat & proferat. Referunt Isem. Hip. Cepol & alii relati à Tiraq. *sup. num. 7. & pæn. temp. caus.* Ascan. *de pat. potest. c. 3. num. 4.* Pet. Greg. *in præl. lib. 5. cap. 7.* Item & illud, ut atrociora parentum crimina, filiorum etiam pœnis luantur *l. quisquis §. filiis, Cod. ad l. Juliam majestat.* cum traditis à Covar. *1. var. cap. 8.*) in quo non eam maximè causam præ oculis habuisse legislatores videntur (ut rectè advertit Mercerius *2. opin. cap. 14.* quam imperat. *in d. l. quisquis*, expresserunt, *quia in filiis paterni, hoc est hæreditarii sceleris exempla metuuntur.*) Neque eam etiam, quam ipse Mercer. admisit, *ut nihil omnino supersit, quod ejus memoriam refricet, qui peccavit*: Sed eam potius, quòd ad continendos in officio patres nihil potuit efficaciùs excogitari, quam eos, qui pœnas sibi impositas non vererentur, filiorum (quod magis sentiunt) supplicio terrere. Quam rationem multi doctissimi viri referunt, & exornant, Tiraquel. *in d. l. verb. donatione largitus, num. 333.* latè & optimè Petr. Fab. *3. semest. cap. 8.* & ad eam nos omnes Cicero *epist. 12. ad Brutum*, manu duxisse videtur, dum ait: *Nec verò me fugit, quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui: Sed hoc præclarè legibus comparatum est, ut caritas liberorum, amiciores parentes Reipub. redderet.* Et Tertull. *lib. 2. adversus Marcionem*, non minùs eleganter, de Deo loquens, qui patrum delicta à filiis exigit: *Duritia* (inquit) *populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes legi divinæ obdirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curat.*

CAPUT XI.

Non esse tantam pietatem filios servare, quantum facinus interficere. Fuisse multos qui in suam progeniem sæverint. Echeti, Tantali Prognes, Medeæ, Pontiæ, Gallæ, Dejotari. Laudicis & aliorum utriusque sexus parentum in filios crudelitas. Ejus detestatio. Constantinum, qui primus cullei supplicium filicidis indit in idem crimem prolapsum. Hoc multis testimoniis probatum. Quæ causa Constantinum in filii, & uxoris necem impulerit. Ad purgandà parricidia regenerationis lavacrum, non ob lepram susceptum ab eo fuisse.

COnstat igitur verissimum esse, quòd Eupides *in Alem.* dixit: *Vehementem amorem Deus in liberos hominibus dedit.* Constat etiam

etiam hunc affectum, ut Cicero *in epist. ad Attic.* tradidit, hâneque benevolentiam genuinam, & naturalem erga sobolem esse. Unde meritò sævissima parricidii pœna, ejusmodi flagitium, non dicam parentum, sed carnificum impiissimorum punitur, qui propria pignora perdere non exhorrent, quæ communis omnium animalium instinctus & pietas servare, & docet & jubet. Quod sentiens Quintilianus *declam.* 8. *Non est tanta* (inquit) *pietas filium observasse, quantum facinus occidisse*; nimirum quia in id omnes sponte natura duce feruntur: hoc verò tam infandum scelus, nulli in animum cadere posse videtur. Quam ob causam non judices tantùm, & leges humanæ, verùm & natura ipsa, in hæc hominum portenta excandescit: Nam ex Apollonio Rhodio *lib.* 4. *argonau.* didicimus Echetum quemdam sceleratum hominem, quòd filiæ oculos ferreis stimulis confixisset, miserabili apud inferos cruciatu torqueri, caliginosa æs in casa molentem. Tantalus quoque à Poëtis narratur, Dîis, quos convivio exceperat, Pelopem filium membratim discerptum, & coctum, comedendum apposuisse. Illi verò reddita Pelopi vita, patrem tanti sceleris auctorem, ad inferos detruserunt, ubi perpetua fame & siti torquetur, Eridani fluvii aquis mento tenus immersus, & pomis quæ ejus capiti imminet, captationem ejus fugientibus. Prognes etiam, atque Medeæ multiplex est item apud eosdem Poëtas memoria: (Sen. *in tragœdia Medea*: Ovid. 7. *metam.* Ælian. *de var. histor.*) quæ illatas sibi à maritis injurias, innocentium filiorum cædibus vindicarunt, adversus quas, avium exemplo insurgit Alciatus *Embl.* 193. ubi plura Minoës & Sanctius, vide eosdem *Embl.* 54. sic inquiens:

Ante diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoca & ova fovet:
Molliat & pulli ut jaceant, tibi bellicat alas,
Queis nuda hiberno deficit ipsa gelu
Ecquid Colchi pudet, vel te Progne improbâ? mortem
Cum volucris propriæ prolis amore subit.

Et Juvenalis *satyr.* 16. Pontiæ crudelisimum facinus refert & Increpat, quæ duos filios veneno necavit.

= Sed clamat Pontia, feci
Confiteor, puerique mei aconita paravi,
Quæ deprehensa patent, facinus tamen ipsa peregi,
Tunc duos unâ sævissima vipera cunâ;
Tunc duos? septem si septem fortè fuissent.
Credamus tragicis, quidquid de Colchide torva
Dicitur & Progne.

Cujus etiam Pontiæ scelus nefandum, Epigrammatarius Martialis *lib.* 2. *Epig.* 34. expressit. Gallæ sceleri comparans, quæ non minori crudelitate tres natos fame peremerat, in hæc verba:

Cum placeat Phileros tota tibi dote redemptus,
Tres paterit natos Galla perire fame,
Perpetuam Dii te faciant Philerotis amicam
O mater quâ nec Pontia deterior.

Sed ut à Poëtis ad historicos transeamus, nemo erit, qui sine maxima execratione atrox, barbarumque Regis Dejotari facinus legere possit, quem post Plutarch. relatum à Cæl. Rhodig. *lib.* 11. *cap.* 17. & M. Ant. Muret. *lib.* 8. *var. c.* 24. commemorant, plures habuisse filios, quorum cum ipse uni relinquere imperium, atque omne patrimonium suum cuperet, quo id faciliùs efficeret, cæteros omnes manibus suis trucidavit, vinitorum exemplo, qui cùm vitis aliqua complures emiserit surculos unum tantùm ex his relinquere, alios amputare consueverunt, ut is, qui relinquitur, major & robustior fiat. In Galilæa etiam latronem quemdam septem filios simul cum uxore in Herodis Regis præsentia occidisse, idem Cælius *suprà* recenser. Sed neque minor illius Mariæ crudelitas videretur nisi necessitas maleficium quodammodo temperaret, quæ, ut Egesippus *de excid. Hierosol.* Joan Sarisberiens. *in polier.* narrat fame coacta, quæ omnem affectum excludit, Hierosolymitani belli temporibus filium in frustra consectum, igni percoxit, ut hiantes, ut Cælius qui eleganter eamdem hist. refert *lib.* 13. *lect. ant. c.* 20. ait, ventris latratus expleret. Laudicis autem immanitas omni excusatione, quin & fide major judicari poterit, quæ ex sex virilis sexus filiis ex marito Ariarate Cappadociæ rege jam defuncto susceptis, metuens, ne ab administratione regni adulter ejus, quem perdite amabat, à filiis prohiberetur, quinque parricidiali poculo, ut Patricius *de regn. lib.* 4. *tit.* 11. ex aliis retulit, interfecit. Unum qui adhuc à nutritoribus alebatur, à materno furore ac diro scelere cognatorum custodia eripuit, qui deinde matri (quæ parvo post tempore concursu totius populi propter nimiam sævitiam trucidata est) successit in regno, & regiam sobolem jam propè per scelus extinctam propria virtute instauravit. Sævus etiam nimis Manlius Torquatus ab Valer. & aliis *infrà* citandis appellatur, quicquid non servati imperii causam in nece filii prætenderit: quemadmodum & Spartana illa mulier Damatria, quæ cùm accepisset filium vili, atque ignavo animo esse, domum reversum manu sua occidit, ac Græcis versibus sepulchro inscripsit, ut Plutarchus refert *in apoph. Lacon. circa fin.*

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

Sed & aliud mulieris cujusdam parricidium, miraculosâmque ejus ultionem apud Sophronium *in prato spirit. cap.* 76. Majol. *diet. canicul. colloq.* 10. *pag.* 397. legimus, ait enim illam cùm intra navigium admissa fuisset, tametsi secundi essent ventorum afflatus, quiescente mari, cùm reliqua omnia navigia felicissima navigatione uterentur; illud unum velut immobile dies quindecim substitisse, summa itinerantium omnium, nautarúmque mœstitia, quousque gubernator ad divinam opem confugiens responsum audiit divinum: Ejiciendam mulierem, cui Mariæ nomen erat; Accitam igitur rogavit, ut scelera indicaret, unde omnibus jacturam pati tantam, ipsa una causam præbuisset, aperuit illa peremisse se filios duos, ubi ad secundas nuptias viam aperiret, ac nec sic invenisse. Tunc gubernator mulierem in scapham descendere jussit; mirum tunc accidit, scapha quinquies in girum agitata, in imum cum muliere demersa est: Navis autem post hæc tanta velocitate iter percurrit, ut triduo iter omne absolverit, quod nonnisi quindecim diebus confici potuisset. Verùm Dii meliora, quàm ut ego eorum omnium catalogum faciam, qui naturæ leges transgressi, in proprios filios crudeliter serviérunt; præsertim cùm hujuscemodi monstra, quæ fuérant potiùs oblivione perpetua damnanda, passim in aliorum scriptis connumerentur: Valer. *lib.* 5. *c.* 7. Bapt. Fulgos. *lib.* 5. *c.* 8. Textor. *in officina* 1. *part.* Quare sufficiat exempla aliis minus cognita retulisse, & illud tandem pro coronide subjiciamus, Constantinum Cæsarem, qui primus (ut diximus suprà) cullei pœnam in filiorum interfectores extendit, in idem crimen, quod graviter adeò damnavit, non multis postmodum annis incidisse. Nam Crispum filium, & Licinium ex sorore natum, quibus consultibus severissimam in parricidas legem promulgaverat; item etiam & Faustam uxorem crudelissimè occidisse narratur: Ita tradunt Oros. *lib.* 7. *cap.* 28. *in fin.* Eutrop. *lib.* 10. Sext. Aur. Vict. & Petr. Mexia *in vita Constantini*: ut contra Evagrium, & Sozomenum eruditè ostendit Cæsar Baronius 3. *tom. annal. anno Christi* 324. & apertè testatur Sidonius Appollinaris 5. *epist.* 8. qui postquàm hos versiculos retulit, qui in Constantini palatii foribus appensi fuerant.

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Ita subdit, *quia scilicet prædictus Augustus iisdem fermè temporibus extinxerat conjugem Faustam calore baluei, filium Crispum frigore veneni.* Cujus sceleris causam licè. Zonaras 3. *tom. annal in vita Constantini*, & Muretus *lib.* 1. *var. cap.* 12. fuisse dicant, quòd Fausta Crispum Constantino ex concubina natum, insano amore correpta, cùm ad concubitum pellicere nequisset: apud patrem eodem modo ut Phædra Hippolytum, accusavit, ut à quo adamaretur, sua pudicitia sæpè sollicitara, quem Constantinus re non satis considerata immerentem morte multavit, & deinde veritate cognita, de ipsa quoque uxore, cùm ob impudicitiam, tum ob filii cædem pœnas exegit, ea in balneum vehementer calefactum introducta, & nimio æstu præfocara. Adhuc tamen Constantinus ipse horum parricidiorum pertæsus, quæ fortè non adeò justa ratione patravit, augures pro tanti criminis purgatione, & expiatione consuluit, à quibus cum nullam acciperet formam; quâ ablui hoc facinus posset, doctus Christianam fidem per Baptismi susceptionem scelera omnia abolere, salutarem aquam, ut Baronius exactissimè, & diligentissimè probat; suscepit eorum, (tradit Alciatus *lib.* 7. *parer. cap.* 19.) inde errorem rejiciens, qui anilibus fabulis ducti, illum in morte, vel dum lepra laboraret, regenerationis lavacrum à Sylvestro Pontifice accepisse, fatentur.

CAPUT XXII.

Parricidii teneri matrem non quæ natum tantum, verùm & quæ conceptum filium abegerit, & abortum procuraverit. In hac re communiter animatum fœtum ab inanimato distinguit. Id an jure factum. Et pluribus in lege Ciceró, ff. de pœnis, exponitur. In abortum curantis Juvenalis, Ovidii, Ciceronis, & Tertulliani elegantissima verba. Gravius homicidio hoc crimen videri. Nulla ratione excusari.

VErbis potiùs quàm rebus impositæ hæ leges viderentur, quæ illatam filiis à parentibus necem severissimis pœnis vindicandam statuunt, nisi quotidianis constaret exemplis, incredibile hoc scelus, & ultra audaciam positum, sæpe fieri; atque ita prudentissimè legum sanctionibus cohiberi. Sed verò quoniam non innatos tantùm modo filios, justis interdum causis commoti, excandescere solent parentes; sed & multoties accidit, ut matres vel dum famæ & pudori consulunt, vel dum parentum odia in filios immerenteis conficiunt in propria viscera sæviant, & medicamentis, ad faciendum abortum desumptis, fœtum claustris adhuc maternis inclusum pessimo, & crudeli exemplo interficiant. Videndum est nunc, an hoc facinus parricidii supplicio sit expiandum? Et fuere quamplures, qui ejusmodi partem absque aliqua hæsitatione defenderint, eo præcipuè casu, quo jam fœtus formatus & animatus extiterit. Petr. Gregor. *Syntagm. c.* 15. *num.* 17. Ferd. Mendoz. *lib* 3. *Concil. Illiberit. c.* 52.

A quibus lex Moysis à Divo Augustino relata, stare videtur, quæ partum mulieris, vel alterius, cujusliber facto, postquam jam animal esset ab actum, capitale crimen esse constituebat, sin minus pecuniaria pœna mulctabat, *Exod. c.* 21. quæ refertur à D. August. *in cap. Moyses* 32. *quæst.* 2. *facit cap. sicut* 20. *de homicidio*, tradit Tiber. Decian. *lib.* 9. *crim. cap.* 8. *num.* 3. *cum seqq.* Item & communis nostrorum traditio, (Glossa & alii *in l. Divus de extraordin. crim.* recepta à multis, quos refert, & sequitur Ægidius Boss. *in præxi, tit. de homicid. num.* 5. Covarrub. *in Clement. si furiosus* 2. *part.* §. 1. *num.* 1. Julius Clarus 5. *sententia* §. *final. q.* 68. *n.* 2. Menochius *casu* 357. *num.* 4. & 5. Cujacius *lib.* 19. *observat. cap.* 9. qui ita accipiunt *dictam l. Divus, & l. si mulierem, de sicariis, l. pen. Cod. eodem tit. l.* 8. *partita* 7. & alias. Vide etiam Revardum 3. *conject. cap.* 1.) quæ juxta hanc distinctionem Jurisconsultorum responsa in abortus pœna constituenda, varianda, componit, & homicidium in abortione infantis commiti constituit, cùm huic recepto homicidii diffinitio omnino

cons-

conveniat, *c. homicidium 23. quæst. 5. cap. homicid. de pœnitent. dist. 1.* notat Vela *de delict. cap. 15. ex num. 3.*

Accedit his, quod, qui abortionis, aut amatorium poculum dederint, etiam si ex eo mulier, aut homo non perierit; tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegari, ut tradit Jul. Paul. *in l. si quis aliquid 38. §. qui abortionis, ff. de pœn. & lib. 5. sent. tit. 23.* Mantua *in Enchir. c. 24.* jubentur. Quæ pœna in legibus Wisigothorum expressè ad ultimum supplicium his verbis extenditur, *l. Wisigoth. 1. lib. 6. tit. 3. Qui mulieri prægnanti poculum dederit ad necandum infantem, vel ad faciendum abortum occidatur.* Quamdam quoque Milesiam mulierem, quod ab hæredibus secundis, accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam Tryphonianus ex Cicerone recenset, *in l. Cl er. 39. de pœn.* quem locum est cur merito difficilem reputemus, quod constat ex secunda ejus parte, mulierem alteram, quæ suis visceribus vim intulit, ne inimico marito, à quo jam divortebat, filium procrearet, temporali tantum exilio ab Imperatoribus coercitam fuisse.

Quodque ut ibi Budæus advertit, & post illum Covarrub. *ubi suprà, & lib. 2. var. cap. ult. num. 10.* & Menoch. notarunt, *d. casu 357. n. 5.* Tiber. Dec. *suprà Oraech. decis. Pedem. 60. per tot.* Cicero, ex quo Consultus illius responsi verba desumpsit, de fœmina loquitur, quæ necdum animatum partum potionibus haustis abegit, quæ, si vera est supradicta distinctio, non debuit adeò gravi supplicio damnari. Sed quidem probandum est, quod docti viri respondent, ideò in eo casu pœnam exacerbatam, quod mulier pecunia inducta tantùm facinus perpetravit. Ita docet Menochius pluribus aliis relatis *ubi supr. num. 13. & 14.* & eleganter Cuj. *d. lib. 9. observ. c. 9. in princip.* Dionys. Gotof. *in d. l. Cicero*, atrociora namque & majori animadversione digna judicantur delicta, quæ ob pecuniæ interventum, quàm quæ odio vel gratia patrantur, *cap. pro human. de homicid.*

Ut vero in viam è diverticulo redeam, in Wormacensi Concilio *in c. si aliquis 5. de homicid.* (idem cautum est *in abortu in 6. Synod. Constantin. can. 91.* quem parricidium vocat Matisconense, *can. 26.* relat. à Burch *3. decr. dict. c. 220.*) cautum etiam invenimus, ut non solùm qui animarum partum abegerit, verum & qui explendæ libidinis causa, vel odii, homini, aut mulieri quidpiam fecerit, vel potum propinaverit, ut non possit generare, vel concipere, vel soboles nasci, ut homicida puniatur. A quo nec abest Stephanus Papa, *in c. consuluist. 20. quæst. 5.* qui cùm in morte infantis homicidium committi probare contenderet, ita inquit: *Quasi ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis, qui unius saltem diei puerulum perremerit, homicidam se esse excusare nequibit?* Sed neque bonorum Auctorum testimoniis deficimur, quibus sceleris hujus atrocitas exercretur, & non mitiori quàm homicidium pœna mulctanda dicatur. Nam Juvenalis *satyr. 6.* frequentiam hujus criminis dolens, sic ait:

Sed jacet aurato vix illa puerpera lecto
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit, &c.

Et Ovidius *lib. 2. amor. eleg. 14.* aureis carminibus in hanc rem eleganter scriptis, matres detestatus, quæ in suos fœtus ita crudeles sunt, inter alia sic inquit:

Quæ prima instituit teneros avellere fœtus,
Militia fuerat digna perire sua:
Si mos antiquis placuisset matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit,
Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis?
Pomaque crudeli vellis acerva manu?
Sponte fluent matura tua, sine crescere nata,
Est pretium parvæ non leve vitæ moræ,
Vestra quid effoditis subjectis viscera telis?
Et nondum natis dira venena datis?
Chelchoda resperam puerorum sanguine culpant,
Atque suæ natum matre queruntur Ityn.
Utraque vestra parens, sed trittibus utraque causis,
Jactura socii sanguinis ulta virum est:
Dicite, quis Tereus, qui vos irritet Jason
Figere sollicita, corpora vestra manu?
Hæc neque in Armeniis tygres fecere latebris,
Perdere nec fœtus causa leœna suos.

Cicero quoque in Cluentiana hoc facinus etiam in partu necdum animato gravissimè vindicari debere testatur: *Qui aufert spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatumque Reipublicæ civem.* Sed melius cæteris Tertul. Aristot. *7. polit.* notans, qui antequam infans sensu, & vita præditus esset, abortum permittebat, hæc scripsit elegantissima verba: *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohiberi nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet; homo est & qui est futurus, etiam fructus omnis jam in semine est.* Hactenus Tertul. *in apol. c. 9.* ex cujus verbis necnon ex reliquis, quæ suprà retulimus, jam liquido apparet, abortum præcipuè partus jam animati homicidii speciem habere. Undè cùm homicidium parentum, vel filiorum in parricidii nomen, & supplicium transierit, *leg. 1. ff. ad l. Pomp. de parricid. l. unic. C. de his qui parent.* non dubitarem cullei pœna matres afficere, quæ tam dirum facinus commisissent. Præsertim cum apud Minut. Felicem in Octavio parricidii nomine hoc crimen appelletur: *Sunt* (ait) *quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originum futuri hominis extinguunt, & parricidium faciunt antequam pariant.*

Quamvis Menochius, cujus sententia forensi usu recipi solet, mitiùs se in hoc crimine habeat, & pœnam judicum arbitrio relinquat: Menoch. *d. cas. 357.* Tiraq. *in leg. si unquam, verb. suscepr. liberos, num. 127.* quidocent pœnam homicidio impositam, nunquam ad abortum trahi. Nam si eas, quæ in jam natu grandiores filios, eorum forsitan injuriis percitæ sæviunt, parricidii damnamus, cur non in eas eodem gladio leges insurgent? quæ innocentes animas & temporali hac vita immaniter privant? & quod dolendum est magis, nondum sacro baptismate lotas, æternæ illius gaudiis, & præmiis spoliant? Quod si Justiniano Cæsari *In l. si quis in suo, §. legis, Cod. de inoff.* satis crudele visum est, eum, qui non sentit, ingratum existimari, & alieni odii causa, ab ultima suæ matris hæreditate repelli: quanto magis censeri atrox, & crudele debebit, partum necdum in lucem editum, spe lucis privare, aut propter mariti odium contra divina, humanaque jura perimere. Etenim ut rectè in non absimili casu scribit Ovidius *in epist. Cana. ad Mac.*

Quid puer admittis tam paucis editus horis,
Quo lætis fallo vix bene natus avum?

Et, ut non minus rectè Quintilianus *declam. 279. Quid hæc ætas committere potuit tanta animadversione dignum? lex abdicationis adversus ferociam juvenum constituta est. Hæc verò infirmitas adeò noxiis nomen non recipit, ut vix recipiat innocentis.* Quod si id fortè ut famæ consulant faciunt, & ne prægnantes detectæ, labis, culpæque ruborem apud eos, quibuscum vivunt, contrahant, adhuc tamen

Summum credo nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Et ut optimè inquit Claudius Minoës *ad Aliat. embl. 193.* vitam eam non judico, *quæ assiduo sibi malè conscia, nocte, dieque suum portet in pectore testem.* Quibus & alia conveniunt, quæ eleganter in hujus criminis detestationem Sixtus V. P. M. gravissima ei supplicia constituens, recensuit *in constit. 23. de facient. & procuran. abortum*; quam tamen ad antiquum jus reduxit Greg. XIV.

CAPUT XIII.

Maritum, qui uxorem, vel uxorem quæ maritum occiderit, culleo insui debere, negatum à quibusdam, à multis assertum. Hispana lege expressè sancitum. Hujus rei rationes ex conjugum amore petuntur. De quo plurima diligenter congerimus. Conjuges sibi invicem insidiantes majus parricidio crimen admittere Chrysostomi, & Stephani verbis probatur. Murenæ & viperæ exemplo cum D. Basil. & Alciato conjugalis concordia & caritas suadetur. Cur fel in Junonis pronubæ sacris non adhiberetur? Formula illa, ubi tu Cajus ego Caja, quo tenderet. Nova ejus explicatio. Uxores maritis æquales esse debere. Dominas sæpe in legibus appellatas. Interdum filiorum loco fuisse. Pœnas malis maritis impositas. Qui conjugum amorem propriæ vitæ prætulerint. Utrum hac pœna ad sponsos trahatur. Martiani responsum exponitur.

A Parentibus & liberis, ad conjuges, nec inopportune, ut arbitror, transitum

nostra faciet oratio. Nam & hi sibi artissimis amoris, & necessitudinis vinculis copulantur, & divinæ, & humanæ domus, sacrorum etiam, atque fortunarum omnium socii esse dicuntur, *l. 1. de ritu nupt. l. adversus, C. de crim. expil. hared. l. 1. ff. de rer. amot.* neque secus sibi, quàm parentes liberis sunt. Apud Gallos enim, si Cæsari *lib. 6. de bello Gallic.* (quod & hodie apud eos durat, teste Tiraquel. *in l. 1. conn. num. 4.*) fidem habemus, viri in uxores non secus ac in liberos dominationem habebant: & Romanis, ut ex Ulpiani fragmentis *tit.* Dionys. Hal. *lib. 2.* Petr. Vell. à Guevara *ad Topira Cicer. §. 8. num. 3.* colligitur, ea quæ per coemptionem in viri manum convenisset, filii loco quoad omnes juris civilis effectus reputabatur. Quinimo & conjugalem amorem quemlibet alium longè, lateque superare, illud Dei Optim. Max. oraculum satis ostendit, *Genes. 2. Matth. 19. Marc. 10.* Paulus *ad Ephes. 5.* Esdræ *3. c. 4. Propter hanc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Et Propertianum carmen *lib. 4.* admonuit, dum ait:

Omnis amor magnus, sed apertè in conjuge major.

Quod non dubiè insinuasse etiam Imper. *l. lex quæ tutores, vers. lex enim non solum, C. de admin. tut.* videtur, dum uxores, novis maritis, non res tantùm filiorum, verùm etiam & vitam addicere, tradit, & Bartolus juris nostri Coryphæus, *in l. pater Severinam, §. socerus, de cond. & demonst.* expressis verbis testatus est, inquiens: *Conjuges se invicem plus diligere, quàm proprios filios.* Et Quintil. *declam. 6.* sic patrem quemdam loquentem induxit: *Filium, & virum habere non poteras, reddidi tibi quem magis amabas, stute jam lachrymas, maritum reducem, & incolumem accipe.* In quam eandem sententiam Joannes Nevizanus *in Sylva nup. lib. 3. num. 13.* (vide etiam Brisson. *de ritu nupt. p. 3.*) post alios considerat, annulum in desponsatione eam ob causam adhibitum fuisse, ut summæ dilectionis signum ostenderet, & ejus rotunditas, quæ est infinita, amorem conjugum infinitum etiam esse debere, declararet. Aitque annulum olim ferreum fuisse, eique adamantem inclusum, ut ostendetur, non aliter conjugis amorem uxorem à patris amorem retrahere quàm adamas ferrum à magnete retrahere solet. Ex his apparet, justis de causis, & communi Doctorum calculo, & forensi usu receptum, ut parricidii crimen, & supplicium in maritum, qui uxorem occiderit, & è contrario, locum habere existimetur. Ita tenet Glossa *verb. juxta modum in c. fin. de stat. Monach. omnes in l. 1. de parric. & in §. alia just. de pup. jud.* Gomez. Carret. Plaza, & alii, quos refert & sequitur Vela *de delict. c. 27. n. 4.* & ultra eos Petr. Ærod. *lib. 8. rerum jud. tit. 6. c. 16.* & Mantua *in Enchir. c. 73.* Anæ. Rober. *rer. jud. lib. 1. c. 14.* Tiber. Dec. *lib. 9. crim. c. 11.* Nam si ex caritatis, & amoris vinculis, facinoris immanitatem metimur, procul dubio aut nullum, aut hoc maximè scelus hac de-

buit pœna coërceri. Quæ opinio licèt à Joanne Oinothomo & Matth. Wesemb. *in §. alia deinde* damnetur, qui contendunt cullei pœnam, & parricidii nomen solùm in ascendentibus, & descendentibus locum habere, nostro tamen jure inspecto, *ex l. 12. tit. 8. p. 7.* omni dubitatione remota admitti debebit, & juxta juris communis sanctiones, *d. l. unic. C. de his qui parent. d. §. alia deinde* (facit *l. ultim. C. de sicariis*, ubi modus quæstionis habendæ in hoc crimine traditur.) adeò vera videtur, ut non solùm parricidium, verùm detestabilius parricidio scelus in conjugis nece perperrari, notabilis quædam decretorum Glossa *in c. admonere, verb. existimes*, 33. *q.* 2. tradiderit, quæ Nevizano, *in sylva nup. lib.* 1. *n.* 43. & aliis quos ipse recenset, vehementer probatur. Quorum hercle judicium magna ratione niti, quilibet dicet, qui attentè Divi Chrysostomi verba perlegerit, qui postquam virorum in uxores sævitiam, maximam eorum ignominiam esse probaverat ita subdit; *in prior. Paul. ad Corinth. epist. hom.* 26. (refert illum Tiraq. *in l.* 8. *conn. n.* 8. vide etiam Ariostum *cantu* 5. *in princ.* qui eleganter in eos qui in uxores sæviunt invehitur. Et Mant. *in Enthir. c.* 123. qui docet gravius esse uxorem, quam matrem occidere, & Balduin. *in §. sed & major, num.* 10. *inst. de his qui sunt sui* Tiber. Decian. *lib. 9. crim. cap.* 11. *per tot.*) *Et enim summa injuria est, vitæ sociam, & in rebus necessariis antea tibi conjunctam, tanquam manceipium ignominia afficere. Ideo hujusmodi virum, siquidem vir appellandus est potius quàm fera, & patricidæ, & matricidæ similem esse dixeris. Nam si patrem & matrem uxoris gratia relinquere præcipimur, non ut injuriam ei faciamus, sed divinam legem impleamus, & ipsis parentibus tam gratum hoc est, eam contumelia afficere, propter quam parentes Deus dimittendos præcepit, nonne hoc tantum insania, &c.* Sed & facit etiam in hanc rem, & hujus criminis diritatem ostendit, gravissimum Stephani Papæ *in c. admonere* 33. *quæst.* 2. ad Hastulphum quemdam, decretum, ubi ei propter uxoris cædem aspernimam pœnitentiam injungens, ita exorditur. *Admonere te cum lachrymis, & multo gemitu cordis curamus, fili Hastulphe, sed non filius debes dici qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti: nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non invidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non inventiti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed concitatus à diabolo, impio furore inflammatus, latronum more, atrocius gladio tuo, crudelior omni bestia, peremisti, &c.* Unde & Horatius libro tertio Carminum, Ode 2. Danai filias ita detestatur.

Impiæ nam quid potuere majus?
Impiæ sponsos potuere duro,
Perdere ferro.

Et Alexander Regis Spitamenis uxorem, quæ trucidati mariti caput gestabat, adversatus est, atque illam è castris excedere jussit, ut Quintus Curtius *lib. 8.* recenset. Divus quoque Basilius magnus, *in exam. orat.* 7. viperæ exemplo, quæ cum muræna marina, ejecto prius ex stomacho diro veneno congreditur, maritis suadet, ut reverentia conjugii, animi inclementiam, & inhumanitatem in uxores, deponant: quod Alciatus noster, *embl.* 191. eleganti complexus emblemate, ita inquit:

Cum furit in Venerem, pelagi se in litora tristis
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit.
Murænamque cient ingentia sibila tolli,
Ai timul amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reverentia: conjux
Alternam debet conjugi & obsequium.

Et Cato ille Censorinus, tantum cultus & venerationis deberi uxori censebat, ut quisquis ei manus intulisset, non aliter insectandus esset, quàm si Deorum simulacra audax temerasset. Nequa aliud significare veteres illi Ethnici volebant, ex quorum institutis, ut ex Plutarcho *in præcep. connub.* dicimus, qui Junoni Pronubæ sacrificabant, fel in sacris non adhibebant, sed è victima exemptum, juxta aram infodiebant, significantes à matrimonio bilem omnem procul esse oportere, & iram, atque odium & amaritudinem à conjugali jucunditate esse sequestrandam. Quò etiam solemnem Romanorum morem spectasse, ex eodem Plutarcho *in prob. cap.* 28. Eras. *in adag. ubi tu Cajus* Alex. ab Alexand. 5. *gen. cap.* 4. Briss. *de rit. nupt. fol.* 42. Mant. *in Lucii.* cognovimus, ut sponsam introducentes juberent dicere: *Ubi tu Cajus ego Caja*, quasi cum viro paciscerentur, omnia inter eos communia esse debere, & ubi maritus dominus & domus compos, ibi quoque uxorem dominam atque heram futuram. Aut ut ego magis existimo, (relicta alia Eustarchii interpretatione *lib.* 2. & 14. *Iliad.* quam probat noster Joan. Pareja *in repet.* 1. *de censibus*) ubi gaudens maritus ibi gaudentem quoque uxorem esse debere. Invenio enim apud Romanos, *Cajos*, à gaudio appellatos, eosque ut ex Valerio (si tamen is est) *in lib. de prænomin. ant.* constat eo nomine significari, qui cum maximo parentum gaudio nascerentur. Quam inter conjuges æqualitatem rerum omnium creator affatim denotavit, cùm ex Protoplasti Adami latere, non autem ex pede, aut capite Evam formaverit, *Genes.* 1. (notant multi ex Theol. quos refert Tiraq. *in l.* 8. *conn. num.* 10. Mant. *in Enth. cap.* 73. Picta poësis *pag.* 53.) & Romani non obscurè significabant, uxores dominas & matres familias appellantes, ut doctè Fornerius *lib. 1. select. cap.* 11. & Cujacius *novell.* 22. & ante eos latè Tiraq. *l.* 10. *connub. num.* 5. ostendunt, & novissimè insignis D. Ant. Pichardo vir non modo de schola nostra, verùm & de ipsa quoque jurisprudentia optimè meritus, in præclara disputatione, quam de promiscua conjugum nobilitate nuper excussit. Et adeò eis omnium bonorum dominium communicantes,

tes, ut rectè dicere Columella *in præf. lib. ult. de re rust.* potuerit: *Nihil in domo conjugali apud priscos dividuum conspicit, nihil quod aut maritus aut fœmina proprium sui juris esse diceret, sed in commune conspiciebatur ab utroque.* Nec minùs rectè Plutarch. *in præcep. connub. c.* 36. & *in probl.* hinc donationes inter conjuges prohiberi, quòd absurdum legislatores existimaverint, aliquid inter eos reperiri quod commune non esset. Quam rationem meliorem his quæ à nostris Jurisconsultis *in l.* 1. & *seqq. de donat. inter.* proferuntur, multi emunctæ naris auctores non malè censuerunt, Alciat. 3. *disput. cap.* 14. Duare 1. *ad titul. sol. matr. titul. de nup. cap.* 1. Corrasius 5. *miscel. cap.* 14. & *lib.* 2. *c. fin. in fine.*

Unde qui naturale hoc fœdus, & mutuam corporum, & animorum conjunctionem, quæ matrimonii intervention contrahitur, insuper habent, & vitæ, ac saluti, quæ una ambobus esse debebat, insidias tendunt, meritò atrocissima hac parricidii pœna plectuntur. Nam si Sartæ, ut Plutarchus *in Lysan.* testatur, severissimum supplicium malo merito ex legibus erat indictum. Et apud Romanos malæ tractationis actio uxori in virum à quo non ut oportebat acciperetur, jure optimo concedebatur: *l. consensu, Cod. de repud.* vide Joan. Gutier. *lib. canonic. quæst.* cur non maxima inferendæ cædis audacia, maximo etiam supplicio coërceretur? prout Romæ à Tiberio & Senatu, Plautium Silvanum prætorem damnatum legimus, apud Quintilia. & Pet. Ærod. *lib.* 8. *rer. jud. tit. 6. cap.* 16. quòd Aproniam uxorem è fenestra dedisset præcipitem, qui tamen damnationem voluntaria morte antevertit. Non sic sanè Tiberius Grachus, qui uxoris vitam propriæ vitæ præposuit. Vide Valer. *lib.* 4. *c.* 6. Cic. de divinat. Plutarch. *in Grachis.* Non sic alii conjuges, qui maritalem fidem egregiis exemplis asseruerunt: vide Valer. *supr. lib. 6. c.* 7. Bap. Fulgos. *lib.* 4. *c.* 6. Non sic denique Erulorum, Indorum, & aliorum barbarorum uxores, quæ se se eodem quo maritus rogos comburendas injiciebant, aut post illius sepulchrum laqueo accepto vitam finiebant. De Erulis Danubii accolis Procopius, de Indis Catharis, & aliis, Pet. Ærod. *lib.* 8. *tit.* 5. *c.* 1. Hæc tamen, quæ de viris, & uxoribus diximus, non facile ad sponsos de futuro (quidquid contrarium Plaza *de delic. c.* 22. *num.* 31. arbitretur) extendenda censerem, nam licèt hi sententia legis Pompejæ de parricidiis comprehendi à Martiano *in l. sed est scelendum ad leg. Pomp. de parrid.* dicantur, id tamen ad eam illius legis partem spectat, qua, legis Corneliæ de sicariis pœna irrogari jubetur, cullei autem supplicium, quod ex rationis paritate maritis infligitur, porrigi ad sponsos non debet, ut bene D. Joan. Vela *de delict. d. c.* 27. *num.* 4. contra Plazam *suprà* prævidit; In his namque consideratæ à nobis causæ non militant, & raro aut nuquam, præsertim in pœnalibus, uxorum appellatio ad sponsas extenditur, ut latissimè ille librorum heluo *Obras Posthumas.* Tiraquellus post *ll. conn. in princip. ex num.* 21. probavit.

CAPUT XIV.

Cullei pœnam novioribus legibus, quibus Hispana nostra consentit, non in parentes, & liberos, & uxores & conjuges tantùm, sed & in quorumdam etiam propinquorum interfectores irrogatam videri. Quinam hi sint. Parentum nomen ad consanguineos interdum extendi. Martianus, Justinianus, & Alphonsus explicati. Cullei pœna propinquorum decem non vindicari tandem contra communem defenditur. In fratrum occisoribus res in dubium vocatur. De fraterno amore plurima. Insignes Quintiliani & Valerii in fratricidas loci. Parricidii nomen fraternæ cædi à bonis auctoribus datum. De Romuli parricidio. Livius an malè crimen Horatii perduellionem dixerit?

SPecialis cullei pœna, quæ in ascendentium & descendentium interfectores Constantiniana lege, *d. l. unic. C. de his qui parent.* reperitur inducta, latius, si Justiniani *in §. alia, de publ. jud.* verba perpendimus, patere videtur. Nam & conscios criminis & si extranei sint, manifestè comprehendunt: & generaliter eas omnes personas teneri volunt, quæ ea nobis affinitate junguntur quæ nuncupatione parentum continentur. Quam Justiniani decisionem sequutus Alphonsus rex noster, *in d. l.* 12. *tit.* 8. *part.* 7. de Martiani responsum *in l.* 1. *ff. ad leg. Pomp. de parricid.* ad verbum transcribens, parricidii reos esse, & singulari illa cullei pœna à majoribus instituta puniendos statuit, non eos tantùm, qui ascendentes, & descendentes in infinitum occiderint, sed & illos etiam, qui frattem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinam, virum, uxorem, generum, nurum, socerum, vitricum, privignum, priviginam, novercam, patronum, aut patronam vita privaverint. Unde Greg. Lopez *d. l. part. verb. qualquier de ellos*, illius legis auctoritate admonuit, jam hodie pœnam cullei, quæ olim juxta Modestini responsum *in l. pœna 9. vers. qui alias, ff. de parricid.* solùm parentum occisoribus irrogabatur, ad reliquas alias personas, quarum mentionem fecimus dubio procul extensam videri. Quod etiam in terminis juris communis post Constantini, & Justiniani sanctiones omnes ferè interpretes admiserunt. Constat ex Fab. Aug. Plat. & aliis *in d. §. alia, glos. in d. l.* 1. *verb. pœna* pluribus relatis, à Carrer. *in prax. tit. de homin. vers. 9. quæro n.* 35. Plaza *d. c.* 22. *ex n.* 30. Ant. Gom. *tom.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Vela *d. c.* 27. *n.* 4. Tiber. Decian. *lib. 9. crim. cap.* 8. *n.* 5. cum sequentibus & latius *cap.* 10. *per tot.* In transversalibus usque ad quartum gradum; in parentibus & liberis absque ulla gradus præfinitione, hanc pœnam locum ha-

buit pœna coërceri. Quæ opinio licèt à Joanne Oinothomo & Matth. Wesemb. *in §. alia deinde* damnetur, qui contendunt cullei pœnam, & parricidii nomen solùm in ascendentibus, & descendentibus locum habere, nostro tamen jure inspecto, *ex l. 12. tit. 8. p. 7.* omni dubitatione remota admitti debebit, & juxta juris communis sanctiones, *d. l. unic. C. de his qui parent. d. §. alia deinde* (facit *l. ultim. C. de sicariis*, ubi modus quæstionis habendæ in hoc crimine traditur.) adeò vera videtur, ut non solùm parricidium, verùm detestabilius parricidio scelus in conjugis nece perperrari, notabilis quædam decretorum Glossa *in c. admonere, verb. existimes*, 33. *q.* 2. tradiderit, quæ Nevizano, *in sylva nup. lib.* 1. *n.* 43. & aliis quos ipse recenset, vehementer probatur. Quorum hercle judicium magna ratione niti, quilibet dicet, qui attentè Divi Chrysostomi verba perlegerit, qui postquam virorum in uxores sævitiam, maximam eorum ignominiam esse probaverat ita subdit; *in prior. Paul. ad Corinth. epist. hom.* 26. (refert illum Tiraq. *in l.* 8. *conn. n.* 8. vide etiam Ariostum *cantu* 5. *in princ.* qui eleganter in eos qui in uxores sæviunt invehitur. Et Mant. *in Enthir. c.* 123. qui docet gravius esse uxorem, quam matrem occidere, & Balduin. *in §. sed & major, num.* 10. *inst. de his qui sunt sui* Tiber. Decian. *lib. 9. crim. cap.* 11. *per tot.*) *Et enim summa injuria est, vitæ sociam, & in rebus necessariis antea tibi conjunctam, tanquam manceipium ignominia afficere. Ideo hujusmodi virum, siquidem vir appellandus est potius quàm fera, & patricidæ, & matricidæ similem esse dixeris. Nam si patrem & matrem uxoris gratia relinquere præcipimur, non ut injuriam ei faciamus, sed divinam legem impleamus, & ipsis parentibus tam gratum hoc est, eam contumelia afficere, propter quam parentes Deus dimittendos præcepit, nonne hoc tantum insania, &c.* Sed & facit etiam in hanc rem, & hujus criminis diritatem ostendit, gravissimum Stephani Papæ *in c. admonere* 33. *quæst.* 2. ad Hastulphum quemdam, decretum, ubi ei propter uxoris cædem aspernimam pœnitentiam injungens, ita exorditur. *Admonere te cum lachrymis, & multo gemitu cordis curamus, fili Hastulphe, sed non filius debes dici qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti: nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non invidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non inventiti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed concitatus à diabolo, impio furore inflammatus, latronum more, atrocius gladio tuo, crudelior omni bestia, peremisti, &c.* Unde & Horatius libro tertio Carminum, Ode 2. Danai filias ita detestatur.

Impiæ nam quid potuere majus?
Impiæ sponsos potuere duro,
Perdere ferro.

Et Alexander Regis Spitamenis uxorem, quæ trucidati mariti caput gestabat, adversatus est, atque illam è castris excedere jussit, ut Quintus Curtius *lib. 8.* recenset. Divus quoque Basilius magnus, *in exam. orat.* 7. viperæ exemplo, quæ cum muræna marina, ejecto prius ex stomacho diro veneno congreditur, maritis suadet, ut reverentia conjugii, animi inclementiam, & inhumanitatem in uxores, deponant: quod Alciatus noster, *embl.* 191. eleganti complexus emblemate, ita inquit:

Cum furit in Venerem, pelagi se in litora tristis
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit.
Murænamque cient ingentia sibila tolli,
Ai timul amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reverentia: conjux
Alternam debet conjugi & obsequium.

Et Cato ille Censorinus, tantum cultus & venerationis deberi uxori censebat, ut quisquis ei manus intulisset, non aliter insectandus esset, quàm si Deorum simulacra audax temerasset. Nequa aliud significare veteres illi Ethnici volebant, ex quorum institutis, ut ex Plutarcho *in præcep. connub.* dicimus, qui Junoni Pronubæ sacrificabant, fel in sacris non adhibebant, sed è victima exemptum, juxta aram infodiebant, significantes à matrimonio bilem omnem procul esse oportere, & iram, atque odium & amaritudinem à conjugali jucunditate esse sequestrandam. Quò etiam solemnem Romanorum morem spectasse, ex eodem Plutarcho *in prob. cap.* 28. Eras. *in adag. ubi tu Cajus* Alex. ab Alexand. 5. *gen. cap.* 4. Briss. *de rit. nupt. fol.* 42. Mant. *in Lucii.* cognovimus, ut sponsam introducentes juberent dicere: *Ubi tu Cajus ego Caja*, quasi cum viro paciscerentur, omnia inter eos communia esse debere, & ubi maritus dominus & domus compos, ibi quoque uxorem dominam atque heram futuram. Aut ut ego magis existimo, (relicta alia Eustarchii interpretatione *lib.* 2. & 14. *Iliad.* quam probat noster Joan. Pareja *in repet.* 1. *de censibus*) ubi gaudens maritus ibi gaudentem quoque uxorem esse debere. Invenio enim apud Romanos, *Cajos*, à gaudio appellatos, eosque ut ex Valerio (si tamen is est) *in lib. de prænomin. ant.* constat eo nomine significari, qui cum maximo parentum gaudio nascerentur. Quam inter conjuges æqualitatem rerum omnium creator affatim denotavit, cùm ex Protoplasti Adami latere, non autem ex pede, aut capite Evam formaverit, *Genes.* 1. (notant multi ex Theol. quos refert Tiraq. *in l.* 8. *conn. num.* 10. Mant. *in Enth. cap.* 73. Picta poësis *pag.* 53.) & Romani non obscurè significabant, uxores dominas & matres familias appellantes, ut doctè Fornerius *lib. 1. select. cap.* 11. & Cujacius *novell.* 22. & ante eos latè Tiraq. *l.* 10. *connub. num.* 5. ostendunt, & novissimè insignis D. Ant. Pichardo vir non modo de schola nostra, verùm & de ipsa quoque jurisprudentia optimè meritus, in præclara disputatione, quam de promiscua conjugum nobilitate nuper excussit. Et adeò eis omnium bonorum dominium communicantes,

tes, ut rectè dicere Columella *in præf. lib. ult. de re rust.* potuerit: *Nihil in domo conjugali apud priscos dividuum conspicit, nihil quod aut maritus aut fœmina proprium sui juris esse diceret, sed in commune conspiciebatur ab utroque.* Nec minùs rectè Plutarch. *in præcep. connub. c.* 36. & *in probl.* hinc donationes inter conjuges prohiberi, quòd absurdum legislatores existimaverint, aliquid inter eos reperiri quod commune non esset. Quam rationem meliorem his quæ à nostris Jurisconsultis *in l.* 1. & *seqq. de donat. inter.* proferuntur, multi emunctæ naris auctores non malè censuerunt, Alciat. 3. *disput. cap.* 14. Duare 1. *ad titul. sol. matr. titul. de nup. cap.* 1. Corrasius 5. *miscel. cap.* 14. & *lib.* 2. *c. fin. in fine.*

Unde qui naturale hoc fœdus, & mutuam corporum, & animorum conjunctionem, quæ matrimonii intervention contrahitur, insuper habent, & vitæ, ac saluti, quæ una ambobus esse debebat, insidias tendunt, meritò atrocissima hac parricidii pœna plectuntur. Nam si Sartæ, ut Plutarchus *in Lysan.* testatur, severissimum supplicium malo merito ex legibus erat indictum. Et apud Romanos malæ tractationis actio uxori in virum à quo non ut oportebat acciperetur, jure optimo concedebatur: *l. consensu, Cod. de repud.* vide Joan. Gutier. *lib. canonic. quæst.* cur non maxima inferendæ cædis audacia, maximo etiam supplicio coërceretur? prout Romæ à Tiberio & Senatu, Plautium Silvanum prætorem damnatum legimus, apud Quintilia. & Pet. Ærod. *lib.* 8. *rer. jud. tit. 6. cap.* 16. quòd Aproniam uxorem è fenestra dedisset præcipitem, qui tamen damnationem voluntaria morte antevertit. Non sic sanè Tiberius Grachus, qui uxoris vitam propriæ vitæ præposuit. Vide Valer. *lib.* 4. *c.* 6. Cic. de divinat. Plutarch. *in Grachis.* Non sic alii conjuges, qui maritalem fidem egregiis exemplis asseruerunt: vide Valer. *supr. lib. 6. c.* 7. Bap. Fulgos. *lib.* 4. *c.* 6. Non sic denique Erulorum, Indorum, & aliorum barbarorum uxores, quæ se se eodem quo maritus rogos comburendas injiciebant, aut post illius sepulchrum laqueo accepto vitam finiebant. De Erulis Danubii accolis Procopius, de Indis Catharis, & aliis, Pet. Ærod. *lib.* 8. *tit.* 5. *c.* 1. Hæc tamen, quæ de viris, & uxoribus diximus, non facile ad sponsos de futuro (quidquid contrarium Plaza *de delic. c.* 22. *num.* 31. arbitretur) extendenda censerem, nam licèt hi sententia legis Pompejæ de parricidiis comprehendi à Martiano *in l. sed est scelendum ad leg. Pomp. de parrid.* dicantur, id tamen ad eam illius legis partem spectat, qua, legis Corneliæ de sicariis pœna irrogari jubetur, cullei autem supplicium, quod ex rationis paritate maritis infligitur, porrigi ad sponsos non debet, ut bene D. Joan. Vela *de delict. d. c.* 27. *num.* 4. contra Plazam *suprà* prævidit; In his namque consideratæ à nobis causæ non militant, & raro aut nuquam, præsertim in pœnalibus, uxorum appellatio ad sponsas extenditur, ut latissimè ille librorum heluo *Obras Posthumas.* Tiraquellus post *ll. conn. in princip. ex num.* 21. probavit.

CAPUT XIV.

Cullei pœnam novioribus legibus, quibus Hispana nostra consentit, non in parentes, & liberos, & uxores & conjuges tantùm, sed & in quorumdam etiam propinquorum interfectores irrogatam videri. Quinam hi sint. Parentum nomen ad consanguineos interdum extendi. Martianus, Justinianus, & Alphonsus explicati. Cullei pœna propinquorum decem non vindicari tandem contra communem defenditur. In fratrum occisoribus res in dubium vocatur. De fraterno amore plurima. Insignes Quintiliani & Valerii in fratricidas loci. Parricidii nomen fraternæ cædi à bonis auctoribus datum. De Romuli parricidio. Livius an malè crimen Horatii perduellionem dixerit?

SPecialis cullei pœna, quæ in ascendentium & descendentium interfectores Constantiniana lege, *d. l. unic. C. de his qui parent.* reperitur inducta, latius, si Justiniani *in §. alia, de publ. jud.* verba perpendimus, patere videtur. Nam & conscios criminis & si extranei sint, manifestè comprehendunt: & generaliter eas omnes personas teneri volunt, quæ ea nobis affinitate junguntur quæ nuncupatione parentum continentur. Quam Justiniani decisionem sequutus Alphonsus rex noster, *in d. l.* 12. *tit.* 8. *part.* 7. de Martiani responsum *in l.* 1. *ff. ad leg. Pomp. de parricid.* ad verbum transcribens, parricidii reos esse, & singulari illa cullei pœna à majoribus instituta puniendos statuit, non eos tantùm, qui ascendentes, & descendentes in infinitum occiderint, sed & illos etiam, qui frattem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinam, virum, uxorem, generum, nurum, socerum, vitricum, privignum, priviginam, novercam, patronum, aut patronam vita privaverint. Unde Greg. Lopez *d. l. part. verb. qualquier de ellos*, illius legis auctoritate admonuit, jam hodie pœnam cullei, quæ olim juxta Modestini responsum *in l. pœna 9. vers. qui alias, ff. de parricid.* solùm parentum occisoribus irrogabatur, ad reliquas alias personas, quarum mentionem fecimus dubio procul extensam videri. Quod etiam in terminis juris communis post Constantini, & Justiniani sanctiones omnes ferè interpretes admiserunt. Constat ex Fab. Aug. Plat. & aliis *in d. §. alia, glos. in d. l.* 1. *verb. pœna* pluribus relatis, à Carrer. *in prax. tit. de homin. vers. 9. quæro n.* 35. Plaza *d. c.* 22. *ex n.* 30. Ant. Gom. *tom.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Vela *d. c.* 27. *n.* 4. Tiber. Decian. *lib. 9. crim. cap.* 8. *n.* 5. cum sequentibus & latius *cap.* 10. *per tot.* In transversalibus usque ad quartum gradum; in parentibus & liberis absque ulla gradus præfinitione, hanc pœnam locum ha-

bere testantes. Nec desunt rationes, quibus hæc opinio adstrui possit, & justis de causis defendi; cùm & Justinianus eas omnes personas comprehenderit, quæ ejus essent affinitatis (sive affectionis, ut alii libri habent, & docti viri magis admittunt Balduin. Cujac. Theoph. Oinoth. & Wesemb. *in d. §. alia*) quæ nuncupatione parricidii continerur, & ex Martiani verbis, quæ supra retulimus, constet parricidii nomen in lege Pompeja latissimè, ut vidimus, accipi. Quinimò & extra legis Pompejæ tractationem, parentum nomen, apud bonos Latinæ linguæ scriptores, ad transversales quoque referri, jam dudum Alex. ab Alex. *l. gen. c.* 15. & Tiraq. *lib. 1. de retract. §. 1. glos. 8. ex n. 1.* vidè omninò Cujac. *lib. 9. observ.* 18. & Casaubon. *in notis hist. Augustæ pagin.* 134. & 479. latè notarunt, & nos patrio idiomate, omnes, qui nobis quoquo affinitatis aut consanguinitatis gradu junguntur, *parentes*, vocamus. Sed & rationem exposcere ut severius consanguineorum vel affinium cædes, quam extraneorum puniantur, vel ex eo constat, quòd ut Cicer. 1. *offic.* tradidit, hos nobis quodammodo natura conciliat, innatusque est quidam affectus & amor in eos, quibus necessitudine sumus conjuncti. Ob quem innumera in jure introducta esse usque ad nauseam Tiraq. *de pœn. temp. caus. 51. ex n. 66.* estendit. Sed licèt hæc ita se habeant, & lex nostra Regia adeò expressis verbis superiorem sententiam admittat. Ego adhuc praxim illam non nisi eo tantum in casu reciperem, quo parentibus liberi, uxores maritis, aut è contrario necem intulerint. Quamvis non diffitear aliorum cognatorum mortem, secundum gradus proximitatem arbitrio judicis, graviori quàm homicidii pœna puniri posse. In quam sententiam me & multorum doctissimorum virorum auctoritas trahit, Balduin. Oinoth. & Wesemb. *in d. §. alia*, Duar. *ad leg. Pomp. de parricid.* Carrer. & alii *ex supr.* relat. præsertim Cib. Deci. *d. c.* 10. *n.* 7. & lex ipsa partitæ, quæ cullei pœnam jam ab antiquis temporibus supra dictis personis irrogatam esse fatetur, cùm tamen constet, more majorum solùm in liberos, ut sæpe diximus usurpatam; atque ita non usquequaque illam distinctionem abrogare voluisse videtur; sed tantùm legem Pompejam prout apud Jurisconsultos observabatur, probare. Lex autem Pompeja, licet ad multos perrineret, pœna tamen cullei ad eos tantùm extendebatur, qui patrem, matrem, avum, aviamvè, aut alium ex ascendentibus occidissent *d. l. pœna, vers. qui alias, de parric.* Quæ licèt postea, noviribus Constantini & Justiniani legibus, in parentes qui liberos vita privassent, protracta fuerit, nequiquam tamen ad alios nobis ex latere junctos extensa videtur. Nec enim frustra Codicis titulus de his tantùm concipitur, *qui parentes, vel liberos occiderunt*, & illarum legum verba ad eas se restringunt personas, quæ parentum sive parricidii nuncupatione comprehenduntur. Quorum verborum quænam sit acceptio, & interpretatio jam alio loco exposuimus.

Planè in fratribus, aut sororibus, qui, quæve fratres aut sorores necassent, non injuria eadem, quæ in parentum, aut liberorum occisoribus pœna admitti debuisset. Nam si quod crimen grave est, & supplicium meretur, fratricidium certè non modo atrox, sed nefandum, non sceleratum, sed horrendum judicari debet. Unde Virgilius 6. *Æneid.* apud inferos pari tormentorum cruciatu fratrum, & parentum injurias lui, his verbis ostendit:

Hic quibus inviti fratres dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti.

Et Quintilianus *decl.* 321. elegantissimè. *Equidem judices* (inquit) *admirari me confiteor, aut constitutas esse tantis sceleribus pœnas, aut ullos inveniri potuisse mortalium, in quos caderet ista suspicio: fratrem suum potuit aliquis occidere? Non obstitit tacita natura? non sanguinis jus? Non sceleribus manus suas objecit quæcumque est illa, quæ creditur esse pietas fratrem occisuro? Non succurrit communis uterus? non eadem cuna vita? non una primordia? Non illa consuetudo, quæ alienos etiam, & nulla necessitudine inter se conjunctos, componere & adstringere affectibus potest? Consuetudo acta pariter infantiæ, pueritiæ studia, lusus, tristitia, joci. Nam quid est aliud fraternitas quàm divisus spiritus?* Quod idem nec minùs eleganter Valerius Maxim. *lib. 5. cap. 5. in princ.* sic extulit: *Quam copiosæ suavitatis illa recordatio est: in eodem domicilio antequam nascere habitavi: in eisdem incunabulis infantiæ tempora peregi: eosdem appellavi parentes: eadem pro me vota excubuerunt: parem ex majorum imaginibus gloriam traxi. Cara est uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines, sed postea cognitis nulla benevolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat.* A quibus nec Hesiodus abest, *in Ergis*, qui germano amori nullum alium æquandum testatur. Nec P. Nigidius apud Agellium *lib. 12. c. 10. noct. Attic.* (eamdem etymol. probat Fest. Pomp.) *Qui fratrem* (inquit) *quasi ferè alterum dictum.* Nec uxoris Intapherni factum, quæ optione sibi à Dario Persarum Rege data, quem ex filiis, marito, & fratre vinctis & interfici jussis liberari vellet, fratrem elegit, quòd diceret, maritum sibi alium, atque alios liberos esse posse, alium verò fratrem parentibus jam vita defunctis, non posse contingere. Quam historiam Herodotus *in Thal.* scriptam reliquit, & ex nostris retulit Tiraquell. *de pœn. temp. caus. 22. ex num. 6.* & Tiber. Decian. *lib. 9. crim. cap. 10. num. 4.* plurima alia de fraterno amore, & caritate considerans. Quamobrem, *vox sanguinis fratris* (inquit Dominus *Genes. 4.*) *clamat ad me de terra*, & Niceras *annal. pag. 264.* (refert. Annæus Robor. *lib. 3. rer. jud. cap. 7.* cùm Volcus Neemanis Triballorum principis filius, Stephanus fratrem prælio fudisset, & fraterna cæde manus polluisset, nefarium hoc facinus multa verborum acerbitate prosequitur. Æmilius etiam Papinianus, ut Spartian. *in Antonini Caracallæ vita* refert, ab Antonino Caracalla rogatus, ut illum in Senatu de fratris Getæ nece excusaret, respondit faciliùs parricidium committi posse, quàm excusari. Nam & parricidii nomen ad fratricidium passim extendi, apertissimum est. Livius *lib. 20.* de Demetrio loquens. *In ea cœna dicitur venenum datum, poculo epoto extemplo sensit, & maxi coortis doloribus, relicto convivio in cubiculum recepit se, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris.* Divus Augustinus Romulum increpans, qui (ut vulgò auctores commemorant: Idem *lib.* 1. Lucan. 1. *Pharsal.* Ovid. 4. *Fast. in fin.* Horat. *epod.* 7. Pomp. *in l. fin. de rerum divis.* quamvis alii hoc falsum esse scribant, ut constat ex Onuphrio Panu. *de Rep. Rom. 2. p.*) in ipsis Romanæ civitatis initiis Remum fratrem peremit. *Magis* (inquit) *lib. 3. de civit. Dei c. 6. contra Romanos movere Deos debuit Romuli frater occisus quàm contra Trojanos Græcus maritus illusus: magis irritare parricidium nascentis, quàm regnantis adulterium civitatis.* Divus quoque Hieronymus *in epist.* relatus *in c. in apibus 41. 7. q. 1.* de eadem re verba faciens, *Imperator* (inquit) *unus, judex unus provinciæ. Roma ut condita est duos fratres simul habere non potuit, & parricidio dedicatur.* Unde Jacobus Cujacius *lib. 5. sentent. ad Paulum sit. 24.* rectè Festum Pompejus *in verb. sororium sigillum*, dixisse contendit, Publium Horatium, qui cùm victor de trigeminis Albanis rediret sororem lugentem interfecit, accusatum parricidii apud Duumviros fuisse; & à Livio *lib. 1.* id malè perduellionem appellari. Quamvis Livium defendere conentur Jacobus Rævardus *ad l. 12. tab. cap. 27.* Sigon. *de antiq. jur. lib. 2. c. 18.* sed & Divus Cyprianus *tract. 4. de mortal.* relatus *in cap.* nunquid 27. *de pœnit. d. 1.* parricidium in fratris nece constituit, sic inquiens: *Nunquid Cain, cum Deo munus offerret, jam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptum Deus providus ante damnavit.* Et Cicero *pro domo sua* pro Cluentio dum ait: *An & hæc de fratris, & patrui parricidio cogitavit?* Quamvis alibi propriis nominibus hæc omnia distinguat, his verbis: *Quid de me quod tulisse te dicis, parricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti?*

CAPUT XV.

Conscii parricidii an & quando pœna hujus criminis teneantur. Utrum conscientia sola, an etiam sceleris participatio ad pœnam desideretur. Scævolæ, Martiani, Ulpiani, & Justiniani responsa explicantur. Nostra in tota hac quæstione sententia, & distinctio. Regiæ legis interpretatio. Par esse delictum admittere, vel consilium, opemve delinquenti præstare. Quintilliani, Ciceronis, & Arnobii in hanc rem testimonia laudantur. Alciati etiam emblema refertur.

COnscios quoque criminis, parricidii reatum incurrere multa jura proclamant, *l. utrum cum l. seq. ff. ad legem Pomp. d. l. 12. part.* circa quas vide quæ tradit Florez Mena *lib. 1. pract. q. 18. n. 2. & 3.* & qui parricidio adsunt, licèt extranei sint gravius puniuntur, quàm si ipsi homicidium patrassent, ut rectè Accurs. *in d. l. utrum, glos. fin. & in d. §. alia deinde verb. extraneus*, ubi Baldum *n. 27.* latè Tiberius Decian. *lib. 9. crim. c. 13.* & alii considerant, nec enim homicidii, sed parricidii tenentur. Et sanè non absque ratione, nam & gravius est filium impellere, quàm manu propria hoc facinus perpetrare. Neque potest tam iniqui consilii supplicium non exasperari: ut enim scribit Arnobius *lib. 4. adversus gentes: Quisquis patitur peccare peccantem, is vires subministrat audaciæ*, & ut ait Ulpianus, *in l. nihil 15. ff. de sicar. Nihil interest occidat quis, an causam mortis præbeat.* Quæ præberi videtur, ubi quis delictum scienter perfici finit, quod posset negotio facili prohibere *culpa caret. 50. de reg. jur.* Unde apud Senecam, *lib. 9. contr. 6.* veneni dati à noverca privigno conscientia, non secus ac ipsa propinatio ex lege puniri jubetur. Sed hic nunc duplex occurrit inspectio. Prior, an in extraneis sola parricidii scientia, an etiam ipsius criminis participatio, ut pœnam subeant, desideretur? Sequens, an eo ipso cullei supplicio more majorum inducto, an legis Pompejæ duntaxat affici debeant? Et quidem Justinianus *in d. §. alia* apertis verbis culleum decernit, & non dolum tantùm, & opem, sed conscientiam quoque sceleris damnat. Ait enim: *Nec non is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licèt extraneus sit, pœna parricidii puniatur, & insutus culleo, &c.* In quam sententiam omnes ferè antiquiores consentiunt, quos longa serie Antonius Gomezius, *tom. 3. var. cap. 3. num. 3. & 4.* Petrus Plaza. *in epit. delict. cap. 22. ex num. 16.* & Tiber. Decianus *lib. 9. crim. cap. 13.* refetunt & sequuntur. Sed contrà Accursius, *in d. l. utrum verb. consilii*, quem ibi sequitur Ang. & latè Oinotho. & Wesemb. & Balduin. *in d. §.* alia Greg. Lop. *in d. l. 12. part.* cujus opinio magis noviribus placuit, non conscientiam tantùm, sed opem, & participium sceleris necessarium esse fatetur; id quod ex Scævolæ responso *in l. 2. de parric. d. libr. 8. part. in fine*, non malè colligitur, dum ait filium qui alterius filii insidias cognoverat tantùm, nec patri indicaverat, relegatione punitum, & ex altero Ulpiani, *in l. si sciente 7. de parricid.* ubi de extraneis agens, non modò eos scivisse, sed & aliquid opis contulisse proponit, veluti si pecuniam subministraverit filio, ad veneni mali comparationem, aut ut latronibus, aggressoribusque daretur, qui patrem intetficerent. Et sanè nisi ita res habet, non facile perspicere valeo, cur filius, qui necem patris non aperuerit, relegatione duntaxat damnetur, aliis verò quamtumvis extraneis sola sceleris notitia parricidii pœnam importet: cùm filii & relinqui sanguine usque ad quartum gradum conjuncti, revelare conspirationem in patrem, vel consanguineum factam sub

pœ-

na (ut Menochius cum communi resolvit *casu* 355. *num. fin.* & de hoc quando quis teneatur revelare delictum , vide latè Florez Menam. *d. lib. 1. præt. quæst.* 18.) judicis arbitrio imponenda , teneantur , quod in extraneis non ita constitutum esse , frequentiori Doctorum sententia recipitur. Gloss. Decius , & Cagnolus *in d. l. culpa caret* , & alii relati à Menoch. *supra num.* 7. Quæ Accursii doctrina lege apud nos regia , *l. 12. tit. 8. part. 7.* apertè juvatur , qua ita demum extraneis parricidii supplicium infligitur , si opem aut consilium præstiterint. Quo loci Gregorius Lopez , *d. l. part. verbo consejo* , legum nostrarum neque indoctus , neque indiligens commentator , idem judicium amplectitur : adjiciens tamen extraneos criminis conscios , non omnino culpa vacare, atque ideo aliqua , leviori licèt & mitiori pœna puniri debere. Quod tam Pontificio , quàm Cæsareo jure in his omnibus , qui delicto futuro cùm possint , obviam non eunt , admittendum, atque probandum esse : Didacus quoque Covarr. *in Clem. si furiosi. 2. part. §. 2. num. 7. ad med.* graviter & docte contra alios defendit. Et ego justissimum reor, nam ut rectè Cicero 1. *offic.* scriptum reliquit. *Qui non defendit , aut obsistit si potest injuriæ , tam est in vitio , quàm si parentes , aut amicos , aut patriam deserat.*

De pœna verò quicquid supradicta jura , & auctores rem satis involvant , mihi ita statuendum videtur , ut participes criminis si extranei sint , homicidii supplicium subeant , non parricidii , neque cullei pœna ad eos ullo modo extendatur , (ut & ante me jam alii auctores probarunt.) Ita tenent Wesemb. & Oinoth. *in d. §. alia* , quamvis contra tenere videatur Tiber. Decianus *suprà* & Boër. *decision. 262.* quem vide , & praxis ipsa recepisse videtur. Nam etsi vulgato circumferri soleat juris principio parem esse agentium & consentientium, sive juvantium pœnam , *l. nihil. de sic. l. qui occidit. §. penult. ad leg. Aqui* illud tamen non procedit , ubi diversa aliqua inter facientem, & consulentem qualitas inest , quæ in uno potiùs quàm in altero exacerbari animadversionem suadeat , ut post Bartolum *in l. qui servo. §. item placuit. de furt.* (quem sequuntur Decius & alii relati à Menoch. *de arbi. casu* 351. *num.* 20) multi alii ex nostris interpretibus tradiderunt. In eo autem de quo loquimur casu, filii scelus atrocius esse , & læsum patris simul, & pietatis numen , diversam maleficii causam facere , diversamque punitionem habere , quis dubitet ? Ergo uterque ultimo supplicio , licèt non uterque culleo plecterur. Nam re vera qui crimen suadet , aut alio modo delinquenti opem , & auxilium præbet , non minus in culpa esse videtur , quàm qui ipse scelus admittit , ut ex Aristotele *Rheto.* & Cicerone *orat. in Pison.* satis colligitur , & eleganter ex Quintiliano *declam.* 270. (& vide congesta à Muntua *in Enchir. cap.* 229.) qui *Satis ostendit ipsa pœna* (inquit) *eum teneri , qui idem commiserit , quod si occidisset. Neque enim gravius quidquam adversus eum qui sua manu interfecerit, constituere potuit legum lator , quàm adversus eum , qui causam præstitisset. Ergo & similitudine pœna etiam crimen par exigere debetis.* Quo respiciens Alciatus *emb.* 173. ex Æsopi apologo elegantissimum hoc conscripsit emblema.

Præconem lituo perflantem classica, victrix.
Captivum in tetro carcere turba tenet.
Quis ille excutar, quod nec sit strenuus armis,
Ulliùs aut sævo læserit ense latus.
Huic illi. Quin ipse magis timidissime peccat,
Qui clangore alios æris in arma cies.

CAPUT XVI.

Cogitati delicti pœnas Deum tantùm exigere , intentati verò & si non perfecti , leges etiam humanas. Hoc in atrocioribus sceleribus præcipuè procedere. In eis (quidquid alii sentiant) ob solum affectum posse adversus intentantem ordinaria criminis pœna procedi. In parricidio hoc multis legibus cautum. Venenum propinare gravissimum delictum venerit, & quare. In parricidio & aliis maleficiis conatum & voluntatem spectari non exitum. Exemplis hoc & testimoniis confirmatum. Qui filii sibi insidiantibus pepercerint ?

ETsi cogitationis pœnam , ut (Ulpian. ait *in l. cogitationis* , 18. *ff. de pœnis ad quam* vide Cujac. *lib.* 8. *observ. cap.* 22.) nemo meruit , & Paulo *in l. 1. §. ff. de furt. l. si quid fur. ff. eod.* teste , sola furti faciendi cogitatio non faciat furem , atque in edicto quod quisque juris in alium statuerit , vel obtinuerit , ipse eodem jure utatur , si injuria nullum habet effectum , nihil obsit conatus *l. 1. in fine. ff. quod quisque jure vide Guillel. Omelacum. libr. 2. academ. quæstio. cap. 76.* Ubi tamen voluntas ad aliquem exteriorem actum devenit , præsertim in gravioribus , ac nefariis criminibus , eadem est ausi , & intentati , quæ & commissi, & perfecti sceleris causa. Unde majestatis, raptus , homicidii , sodomiæ , & similium criminum reatum , non qui perfecerunt tantùm , sed & qui attentarunt , incurrunt *l. quisquis. C. ad leg. Jul. maj. l. si quis non dicam rap. C. de episc. & cler. l. 1. divus ff. de sicar. l. is qui eum telo. C. eod. l. 1. tit. 21. lib. 8. recopil.* & vide Caballin. *milleloq. 616.* & omnino Cujacium *lib. 15. observat. cap. 24.* qui hoc in omnibus criminibus gravioribus generaliter procedere ait , quæ & naturali, & civili jure damnantur. Et idem docet And. Galli. *lib. 1. de pace pub. c. 14. num. 3.* Nec oblìti sunt Constantinus *in d. l. uni C. de his qui parent.* & Justin. *in d. §. alia.* qui secundùm magis vulgatam , & receptam lectionem , eos culleo insui jubent ; *qui parentum , vel liberorum fata præparaverint.* Quo verbo , ut Accursius & alii *in dictis juribus.* Tiber. Dec. *lib. 9. crim. cap. 12.* & post eum alii adnotarunt , non qui occidunt solùm , sed & qui occidere tentant com-

comprehenduntur. Sed & apertiùs lex nostra *d. l. 12. titul. 8. par. 7. in fin.* rem hanc , & ejus rationem his verbis complectitur. *E aun decimos , que si alguno comprare yervas , ó ponzoña para matar á su padre , ódesque las quisiere compradas se trabajare de gelas dar , maguer no gelas pueda dar , si complir su voluntad, aun se le aguisare , mandamos que muera por ello , tambien como aquel que las oviese dado , pues que non fizo por él.* Neque nimirum si in parricidii scelere , hoc ita placuerit , nam & quæcumque veneni propinatio etiam extraneo facta , consummati maleficii pœnis subjicitur, ut auctores omnes communiter probant Anton. Gom. Ber. Diez , *Plaza Foller.* Pet. Gregor. Menoch. & plurimi alii relati à Vela *de delict. cap. 26. num. 3.* & Greg. Lop. *in d. l. part. verbo agulsase* , qui tamen rectè defendit requiri quod sit propinatum , nec sufficere emptum fuisse. Est enim beneficium adeò grave crimen , ut præ cæteris hoc unum maleficii nomine designetur. Tantoque reputatur sceleratius , quantò occultiùs committitur , ut bene Rainaldus Corsus *lib. 1. indagat. cap. 5.* & Annæus Robertus *lib. 1. rer. jud. cap. 6.* advertunt. Unde Imperator Antoninus *in l. 1. C. de malef. & math. Plus est* (inquit) *hominem extinguere veneno , quàm occidere gladio.* Et Philo Judæus beneficia cæteris omnibus delictis graviora censens *de specia. leg. contr. mæch. & homic. Homicidas* (ait) *eosque qui palam aggrediuntur , videre & vitare licet : at occultè insidiæ , & venena , quæ in convivio , inter mensæ sacra , inter amicos , & sodales præbentur , vix cavere possunt.* Quod si rationes, & testimonia petantur , quibus ausi parricidii supplicium exigendum esse probetur , licèt quis non fuerit auso potius , advocandus erit nobis ad partes locupletissimus testis Seneca *lib. 4. cont. 7.* qui *Omnia* (inquit) *honesta opera voluntas inchoat , occasio perficit : sæpè honorata virtus est , etiam ubi eam fefellit exitus : scelera quoque quamvis citra exitum substerdrint , puniuntur.* Hocque est , quod sæpe Jurisconsulti docent , *In maleficiis voluntatem expectari , non exitum l. nihil interest ff. de adult. l. 2. de cond. furt. l. fin. ff. de sicar. l. fraudis. ff. de reg. jur.* Et quod Quintilianus *decl.* 281. elegantissimè in hoc ipso parricidii scelere , ita exaravit : *Nunquam mens exitu æstimanda est , nam & qui impetum in patrem strictò gladio fecisset , retentus dicere t , Non occidi. Si venenum paratum deprehendissem , diceret , Non occidi.* Sed nec minùs eleganter Cicero *in orat. pro Milone. Nisi fortè* (inquit) *quia perfecto res non est , non fuit punienda, perinde quasi exitus rerum non hominum consilia legibus vindicentur. Minùs dolendum fuit re non perfecta : sed puniendum certè nihilominus.* Et Senec. *lib. initiat. non cad. in jur. cap. 7.* alibi : *Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit : venenum illud dando scelere se obligavit , etiam si non nocuit : omnia scelera etiam ante effectum operis quantum culpa satis est , perfecta sunt.* Apulejus 1. *florido-*

rum. quoque non solùm cœpta, verùm & cogitata tantùm crimina puniendæ esse , his verbis ostendit : *Maleficii etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc vindicari. Cruenta mente pura manu ad pœnam sufficere.* A quo nec Juvenalis *satyr. 13.* abest dum cecinit.

Hæ patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Non scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet.

Et alia , quæ ex parrum decretis , de puniendæ voluntate Joannes Aurpachius *lib. 2. ting. alleg. cap. 40.* congessit. Quæ tamen quoad Deum intelligi , & accipi debent , ut optimè Alexander ab Alex. *lib. 2. gen. cap. 16.* Menoc. *cas. 360. num. 4.* considerant , cui obnoxius, invisusque sit , qui læsa conscientia infandum facinus animo agitavit. *Nec enim* (ut Tertullianus *lib. de pœniten.* ait) *si mediocritas humana de factis solum judicat , quia voluntatis latebris par non est , idcirco crimina ejus etiam sub Deo negligamus ;* Qui ut Cyprianus *serm. 5. de lapsis* , inquit , *videt corda , & pectora singulorum , & judicaturus non tantum de factis, sed & de verbis , & cogitationibus nostris, omnium mentes , voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur.* Ex quibus apparet , quàm à vero deviet illorum opinio , qui propinationem veneni , aut alium actum delicto proximum non ordinaria criminis pœna , sed mitiori judicis arbitrio puniendum existimant. Jul. Clar. *§. homicid. quæst. 14.* & plures per Tiraq. *de pœn. temp. causa* 39. contra quos tenet Covarr. *in Clement. 2. p. in init. num. 11.* Menoch videndus *d. cas. 350. n. 47.* & Vela. *d. cap. 26. num. 4.* Tiber. Dec. *lib. 9. crim. c. 9. num. 3. & c. 12.* Præsertim cùm neque exempla deficiant , quibus tentati parricidii supplicium severissimè sumptum fuisse , probari queat. Nam Artaxerxes Darium filium , & quinquaginta alios , qui Darii suasionibus in ejus cædem conspiraverant , quin & conjuges quoque eorum cum liberis , ne quod vestigium tanti sceleris superesset secuti percuti jussit ; narrat Justin. & ex nostris Pet. Ærod. *lib. 8. rerum judic. tit. 6. c. 6.* & Pet. Fab. *3. semest. c. 7. pag.* 115. & Mithridates (qui tamen ut Martialis ait *lib. 5. epist. 118. Effectrat epoto sæpe veneno , toxica ne possunt sæva nocere sibi*) uxorem , quæ ut adulteria quæ eo absente commisserat, majore scelere celare posset , advenienti illi venenum paraverat , cognito ab ancilla facinore , thorte simul cum adulteris multavit. Refert ex aliis Fr. Patri *de reg. lib. 4. tit. 11.* Quamvis contra etiam apud Herod. *lib. 3.* legamus , Sævèrum Imperatorem filio Antonino veniam dedisse , licèt palam gladium strinxisset , ut eum manu sua transverberaret : & notus sit Romanus ille Titus Arius , qui , ut refert Seneca *lib. 1. de clemen. cap. 15.* filium in præparatione parricidii deprehendit , & tamen parvit clementiæ Augusti , qui arbiter in ea causa ab Ario vocatus , non culleum , non serpentes, sed relegationem solam decrevit , admonens,

ea

ea pœna patrem contemtum esse debere, in filio adolescentulo, impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentiæ timidè gessisset, sequutusque Terentianum illud.

Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.

Carolum quoque Franciæ Regem hujus nominis septimum, Delphino Ludovico filio, aliisque in ejus necem conspiraverant, sedato tumultu ignovisse, Robertus Gaguinus *in Carol. septimo.* & Petrus Faber. *lib. 3. temet. c. 16. pag. 227. in marg.* antea eod. *lib. cap. 8. pag. 115.* commemorant. Qui tamen Faber iniquè admodum plissimi, ac prudentissimi Philipi secundi Regis nostri nunquam nisi honoris causa nominandi, crudelitatem in Carolum carissimum illi filium accusat, & non satis res nostras doctus, imprudenter gloriosum tanti principis nomen (aut numen potiùs) offendit.

CAPUT XVII.

Parricidium cæidem ac cætera crimina probationes admittere. Judices comperta maleficia citò punire debere. Suetonium solum, manifesti parricidii reos culleo insui non posse, dixisse, nisi proprio ore crimen confiterentur. Ex Cicerone, Quintiliano, Apulejo, & aliis contrarium constare. Parricidii accusatum absolvi, quodammodo ad Reipublicæ honorem pertinere.

CRudelissimo cullei supplicio hodie hi omnes afficientur, qui parricidii scelus vel testibus, vel quovis alio modo convicti fuerint commisisse. Et quemadmodum in re adeò gravi non temerè judex ad pœnam descendere debet: ita probato maleficio, *Summum* (ut Divi Hieronymi *epist. ad Heliodor.* verba detorqueam) *pictatis genus erit esse crudelem* & eum ocyssimè & rerum natura subtrahere, qui naturam ipsam tam infami crimine violaverit. Nam, ut eleganter Cicero *in orat. pro Ros. Amer.* inquit, parricidium, *Quò minùs est credibile, nisi ostenditur, eò magis est, si convincitur, vindicandum.* Et quemadmodum sanguinis, & necessitudinis jura, suspiciones, & indicia hujus criminis respuunt, reclamitat enim, ut idem ait Cicero, illis ipsa natura, & rem scelestam, tam atrocem, tam nefariam credi non patitur, nisi manifestè judicibus constet: ita ubi fuerit liquidis, & (quod leges volunt *l. fin. de prob.* vide Mant. *sing.* 258. Tiber. Dec. 2. *tom. lib. 9. cap. 6. num.* 11.) luce meridiana clarioribus probationibus, & argumentis comperta, magnitudo maleficii severissimam pœnam expostulat, ut qui tam tetro facinore Rempublicam læsit, supplicii exemplo eamdem restituat, *prodeantque*, (ut alibi ait Augustinus *in Reg. & in epist.* 109. *ad monach.*) *inde medicamenta, unde facta sunt vulnera.* Quæ omnia eò spectant, ne quem facilè auctores decipiant, qui cullei pœnam non nisi in eos, qui proprio ore parricidium confessi fuissent, irrogandam affirmant, Covar. *in Clem. si furios. in initio 2. part. num. 12.* Cujac. *in parat. C. de his qui parentib.* Petr. Greg. *lib. 36. cap. 24. num. 6.* Etenim licèt Suetonius Tranquillus *in Augus. c. 33.* id Augusti tempore in usu fuisse demonstret, dum ejus lenitatem commendans inquit: *Manifesti parricidii reum, ne culleo insueretur, quòd non nisi confessi afficiebantur hac pœna ita interrogasse, Certè patrem tuum non occidisti*, nempè ut se non occidisse responderet. Attamen Ciceronis tempore id itidem valuisse non videtur, cum in Rosciana illa oratione, tot referat convincendi parricidii rationes. Neque, quod Petrus Ærodius *lib. 8. rerum judic. tit. 6. cap. 10.* vult, Cornelia, aut Pompeja lege id demum cautum fuisse, affirmare ausim: cùm in Senecæ & Quintiliani umbratilibus declamationibus sæpe sæpius de parricidiis, eorumque probationibus, & argumentis, ac conjecturis agatur, & non confessum tantùm, sed convictum aut manifestum etiam reum puniri videamus. Id quod Apulejus quo que his verbis expressim ostendit. *lib. 10. asini.* vide etiam Ciceron. *lib. 2. de invent.* ubi *de confirmat. agit. Neque quisquam decurionum tam æquus remanserat judex, quin evidenter noxæ compertum, insui culleo pronuntiaret.* Et Sallustius *in Catil.* non malè juvat qui ibi more majorum capitalium criminum rei damnari deberent, (quod in parricidio contingere Modestin. *in l. pœna. ff. de parric.* admonuit) nihil manifestos à confessis differre testatur. *De confessis* (inquiens) *sicuti de manifestis rerum capitalium more majorum supplicium sumendum esse.* Quò fit, ut quamvis confessos tantum culleo insui posse tradat Suetonius: cùm tamen id neque ab aliis auctoribus scriptum fuerit, neque jura ullam in hujus criminis cognitione ab aliis differentiam constituant, apud me Suetonii fides in dubium vocetur, & in parricidii supplicio minimè ut se ipsum proprio ore damnet vel absolvat delinquens, admittendum videatur, quod vix leges aut ne vix quidem in civilibus causis recipiunt *l. unic. C. ne quis in sua causa judic. l. sub hac de oblig. & actio l. nemo. de testib.* Nisi si fortè non satis apertis probationibus fuerit scelus compertum. Hoc enim in casu rectè poterit judex Augusti exemplum sequutus parricidii reum ex propria confessione dimittere, & ad clementiam potiùs quàm ad severitatem inclinare. Nam ut optimè Quintilianus scribit, *falso hoc crimine accusari, pertinet ad vota.* & ut tradit Seneca *lib. 3. cont. 2. Seculo parci videtur, ubi parricida, seu paribus sententiis, seu incredibilitate dimittitur.* Si verò vel sufficienter probatum, vel etiam gravissimis & urgentissimis conjecturis convictum, inveniatur, rectè ad pœnam descendere poterit judex, ut cum Bald. Hippol. & Boër. Tiber. Decianus *lib. 9. crim. cap. 14. num. 4. tum seqq.* rectissimè tradidit.

CA-

CAPUT XVIII.

Nullam causam inveniri posse, quæ parricidium excuset, optimis exemplis probatur. Qui parricidium parricidio vindicant, potiùs dimitti & ampliari, quàm absolvi. Orestis & Alcmæonis parricidia etiam si in patrum ultionem facta, furiis punita. Ciceronis de causis furiarum, quæ parricidas exagitant, verba. Orestem Diis in Areopago sedentibus absolutum. Parricidium etiam involuntarium extra pœnam non esse involuntarii homicidii quæ fuerit pœna apud Græcos. Furiosum si in furore parricidium commiserit impunem esse. Quid si post delictum efficiatur furiosus.

PArricidii crimen grave adeò est, & nefarium, ut nullius causæ prætextu fari posse videatur. Unde narrat Valerius Maxim. *excus. lib. 8. c. 1.* Agellius *lib. 12. noct. Att. c. 7.* Joan. Sarib. *in polierat. lib. 4. cap. 11.* & vide alia exempla apud Tiber. Decian. *2. tom. crim. lib. 9. cap. 6. num. 7. cum seq. & cap. 15. per tot.* mulierem quamdam, quæ virum, & filium eodem tempore venenis clam datis irata interfecerat: quòd ii optimæ indolis juvenem, quem ex priori marito susculerat, insidiis occidissent, à Gn. Dolabella ad Areopagi cognitionem rejectam, quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam neque punire eam justo dolore impulsam sustinuit. Areopagitæ autem, inspecta causa, & accussatorem & reum post centum annos ad se venire jusserunt. Sic neque absolutum mulieris veneficium relinquentes, quod per leges non licuit, neque nocentem damnantes, quæ venia digna fuit. Cui exemplo simile aliud ex eodem Valerio *sup.* subjici potest, qui ait, apud M. Popilium Lenarem, fœminam quamdam accusatam fuisse, quòd matrem fuste interemisset, sed quia abundè constiterat, eam veneno occissorum liberorum, quos avia necaverat, dolore & acerbitate moram, parricidium parricidio vindicasse, pronuntiatum fuisse. *Hanc neque damnari neque absolvi posse.* Nam ut Papinianus Caracallæ respondit *Parricidium non tam facilè excusari potest, quàm fieri.* Et licèt absolutum à Senatu Fabium Fabritianum tradat Plutarch. *in parallel. cap. 71.* quia matrem & adulterum, in patris ab eis obtruncati ultionem, necaverat, & eodem Plutarch. *in parallel. cap. 28. & 39.* teste Cyjanes & Medullina parentes interfecerint, quòd ab his fuerint per vim stupratæ: & Ninus, ut Justinus *lib. 1. hist.* refert, Semiramidem matrem occiderit, quod ejus concubitum, & congressum optasset: tamen adhuc, vix posse ullam tam infausti sceleris justam excusationem prætendi Orestis exemplo satis ostenditur, quem ut passim poëtæ, & historici narrant Eurip. *in Orest.* Ovid. *lib. 1. & 4. de trist.* Statius *lib. 1. Thebat.* Sophocles *in Electr.* & omnino Philostr. *in vita Apol. lib. 4. c. 12. circa finem.* quamvis Clytemnestram, & Ægistum adulterum, in ultionem Agamenonis patris, qui ab illis fuerat in ipso Asiæ regressu inter epulas jugulatus, occiderit: semper tamen furiis exagitatum fuisse, literarum monumentis cognovimus, nec nisi tantisper ab eis liberatum, ubi ad Apollinis templum confugit, quod Eumenides ingredi ausus non fuisse, sed dum exiret, expectasse, ex Virgilio 4. *Æneid.* colligitur, dum inquit.

Aut Agamenonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem, & serpentibus atrit.
Cum fugit, ultricesque sedent in limine diræ.

Quò usque ad Dianæ aram perductus, perpetratum facinus expiavit. Sed & idem Alcmæoni contingisse, & pariter furiis infestatum ob Eriphyles matris cædem, quæ ipsa aureo monili corrupta, maritum Amphiarum Alcmæonis patrem, Polynici prodidisset, Diodor. Sicul. *lib. bibliot.* & Arist. omnino videndus *3. ethi. c. 1.* latè recenset: eoque respexit Propert. *lib. 3.*

Aut Alcmæone furiæ, aut jejunia Phinei.

Et ad utrumque Cicero *pro Rosc. Amer.* totam hanc rem eleganter exornans his verbis: *Videtis ne, quos nobis poëtæ tradiderunt, patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpsisse, eum præsertim Deorum immortalium jussis, atque oraculis id fecisse dicantur, ut eos agitent furiæ, neque consistere usquam patiantur? quòd ne pii quidem sine scelere esse potuerant:* & paulò post, causam ob quam hujusmodi furiæ à poëtis fingantur, proponens, *Sua* (inquit) *quemque fraus, & suus terror maximè vexati suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæque furiæ, quæ dies, noctesque parentum pœnas à sceleratissimis filiis repetant.* Unde & adagium natum est, *Conscientia mille testes.* & Philostratus *lib. 7. cap. 7.* in vita Apollon. *Euripidis quoque sententiam laudat, putantis conscientiam esse, quæ homines puniat cùm se malè operatos esse recognitant. Eadem quoque furiarum pœnas apposuit Orestis, quando advertus matrem insanit.* Pausanias quoque *in Atticis, sive lib. 1.* commemorat, Alcmæni ob matris cædem nullum apud Græcos honorem habitum fuisse, quamvis Amphiaraus ejus pater, & alii Heroes in Deorum numerum relati fuerint, & ab Oropiis templo & statua donati. Et Orestem Argivorum edicto, urbe, tectoque interdictum, & variatis hominum sententiis vix tandem Diis in Areopago sedentibus à matris parricidio absolutum: Eurip. *in Electr.* Ciceronis *pro Milone*, (ubi latè Dionys. Lambin. & Pet. Ærod. *lib. 8. tit. 6. cap. 1.*) & aliorum testimoniis dicimus. Nimirum quia nullum tantum scelus inveniri potest, quod sit parricidio vindicandum: & cum æqualis pietas parentibus debeatur *l. 4. de curat. furios.* non licet alterius causa manus injicere. Unde Catoniani (*lib. 3.*) aut certè Catone digni versiculi.

Dilige non ægra caros pietate parentes,
Nec matrem offendat, dum vir bonus esse parenti.

Quin & parricidium casu, & imprudentia commissum, non prorsus citra culpam esse, Oedipi, & Cephali exemplis non malè comprobari potest: quorum ille, cùm Lajum patrem suum, à quo fuerat sanguinolentus adhuc occidi jussus, imprudens in turba necasset, Jocastamque matrem uxorem duxisset, posteà re cognita, tantorumque scelerum à se repetens pœnas, utrumque sibi oculum eruit, Athenasque in voluntarium exilium concessit. Oedipi fabulam vide apud Senecam tragediographum *in Oedipo*. Cephalus verò, cum jacto telo Procridem uxorem, feram esse existimans, in venatione transfodisset, Thebas exulavit; nec nisi decem exactis seculis, ejus posteri consulto prius Apolline ab Atheniensibus recepti fuerunt, ut Pausanias *in Atticis* recenset. Cyanippum quoque & Æmylium narrat Plutarchus *in parallel. c.* 42. & 43. uxoribus, simili ac Cephalus fato, interfectis, insperatum facinus propria morte luisse. Nam & si ut Xenophon. *lib.* 3. *de Cyripædia*, ait: *Quæcumque per imprudentiam ab hominibus deliquuntur, hæc omnia invita esse censeantur*, & apud Græcos, ut Claudius Saturn. *l. aut facta, §. eventus, sed pœn.* (vide Alciat. 2. *paver. cap.* 2. Tiraq. *de pœn. temp. causa* 13. Forner. 1. *select. cap.* 10. Petr. Greg. *lib.* 86. *syntagm. cap.* 10.) & alii ex juris scriptoribus latè demonstrant, fortuiti, & involuntarii casus exilio voluntario puniri solerent, quod idem apud Memphitas lege cautum fuisse Philostratus *lib. 6. de vita Apoll. cap.* 3. docet: tamen in parricidio etiam involuntario, & per imprudentiam commisso, severiorem pœnam luendam esse, vel ipsi rei, suæ causæ judices, existimarunt. A quibus non longè abfuisse videtur Telegonus, qui, ut Dictys Cretensis enarrat *lib. 6. de bello Trojano, in fine*, cùm Ulissem patrem, qui somniorum diritate conterritus latitabat, misso in eum nec dum sibi cognitum jaculo, lethaliter vulnerasse, cognito postea parentem esse, utraque manu caput dilanians, flerum edidit quàm miserabilem, maximè discruciatus ob illatam per se patri necem. Cui facto proximè alterum illud videtur accedere, quod apud Tacitum *lib.* 3. *historiæ, vel* 19. *annal.* legimus his verbis scriptum: *Julius Maniuetus, ex Hispania, Rapaci legioni additus, impuberem filium domi liquerat; is mox adultus, inter Septimos à Galba conscriptus, oblatum fortè patrem & vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus, agnoscensque, & exsanguem amplexus, voce flebili precabatur manes patris, neve se ut parricidam adversarentur. Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum & questus, & sævissimi belli execratio.* Planè si quis per furorem parricidium fecerit, omnino à pœna excusari, satisque furore ipso puniri, diligentiusque ab agnatis & gentilibus quorum curæ id antiquis legibus erat commissum (Furiosos agnatorum tutelæ relictos probat Cic. 2. *de invent.* Varr. *lib.* 1. *de re rust. c.* 2. Rævar. *ad ll.* 12. *tab. cap.* 13. Balduin. *cap.* 23.) custodiendum esse, relato Divorum rescripto, Modestinus *in l. pœn. vers. sanè si per furorem, ff. de parric.* & Macer. *in l. divus, de offic. Præsidis* admonuerunt. Quæ enim furiosi admittunt delicta, casu, & absque alicujus personæ facto accidere censent legislatores, & non magis ea puniunt, quàm si quadrupes damnum dederit, aut tegula ceciderit, ut ex Pomponio *in l. fin. de admi. tut.* & Ulpian. *in l. sed & si quemcumque*, §. 1. *ad l. Aquil.* colligitur, & pluribus hanc in rem diligenter congestis Tiraquellus *de pœn. temp. caus.* 2. & Menoch. *casu* 325. Carrer. *in prax.* §. *homic. vers. nono quæro, n.* 32. & in terminis latè Tiber. Decian. *lib.* 9. *crimin. cap.* 15. advertunt. Id quod, adeò verum esse, existimant plures, ut non solùm impunita sint maleficia, quæ per furorem patrantur, sed & ea etiam, quæ quis compos mentis admisit, qui tamen posteà in furorem inciderit. Quod tamen quia difficultate non caret, & quæstio hæc variis doctorum sententiis, reddi solet ambigua, è re erit, Covarrub. *in Clem. init.* 3. *part. num.* 2. Tiraquel. *sup. caus.* 3. Menochii *supr. n.* 12. Forcatuli, *dial.* 33. Baudi, *lib.* 2. *qq. c.* 7. & aliorum, quos novissimus Hieronymus Zevallos *pract. comm. q.* 33. retulit, scripta videre. Mihi autem, saltim in parricidio, supervenientem furorem criminis supplicium non impedire, disertis Macri Jurisconsult. *in d. l. divus*, verbis ostendi videtur, ubi ex rescripto principis in eum, qui intervallis quibusdam sensu senior erat, jubet inquiri, & diligenter explorari. *Num fortè eo momento scelus admiserit, ut si cum posset videri sentire parricidium fecerit, pro immanitate criminis supplicio afficiatur.* Aut certè (quod magis Andræas Fachineus *lib.* 9. *controvers. cap.* 3. admittit) totum hoc prudentis judicis arbitrio relinqui debere; is enim temporis, personarum, facinoris, & aliarum rerum contemplatione habita, quid statui oporteat commodius inspiciet: Nam ut rectè Ovidius 1. *Fastor.*

Judicit officium est, ut res, ita tempora rerum
Quærere: quæsito tempore tutus erit.

Sed hæc sufficiunt, ut constet verissimum esse, quod Justinus *lib.* 6. *histor.* ait: *In parricidio nullam satis justam causam ad sceleris patrocinia prætexi posse.* Id quod Idumenæi etiam exemplo Alexand. ab Alexand. 3. *genial. c.* 22. satis ostendit, qui à Cretensibus pulsus, & patria tanquam impius ejectus fuit, quod filium sibi obviam factum, Diis ex voto immolare voluisset.

CA-

CAPUT XIX.

De parricidæ testamento, & successione tractatur. Ultimo supplicio damnatos olim nec testamentarium nec legitimum hæredem habuisse. Hodie secus. Eorum, qui ad damnationem decetitissent, nisi sibi mortem inferrent facinoris conscientia, successionem fuisse. De his, qui sibi mortem conscioverint plurima. An fiscus, an parricidæ filii, vel alii agnati ad bona interfecti, quæ ad parricidam essent perventura admittatur. Variæ in hac quæstione dictorum sententiæ referuntur.

SUperioribus consequens est, ut antequam nostræ disputationis vela contrahamus, paucula quædam de parricidarum tam legitima, quàm testamentaria successione, & hæreditate dicantur. Et quidem Ulpiano *in l. parricidii* 8. *ff. ad leg. Pomp. de parricid.* docente cognoscimus: *Parricidii postulatum si interim decesserit, siquidem sibi mortem conscii erit, successorem sibi fiscum habere debere, si minus, cum quem voluit: si modò testamentum fecerit; si verò intestatus decesserit, eos hæredes habiturum, qui lege vocantur.* Sed verò Ulpianus de postulato seu accusato, necdum autem damnato reo loquitur. In quo idem *in l. si quis 9. de testam.* tradidit: *Si quis post accusationem in custodia fuerit defunctus indemnatus, testamentum ejus valebit.*

Et Paulus *in l. in fraudem* 45. *de jur. fisc. Bona eorum qui in custodia, vel in vinculis, vel compedibus decesserunt, hæredibus eorum non auferri, sive testato, sive intestato decesserunt.* Nam ut Macer ait *in l. 1. in fin. ff. de bon. eorum qui ante sentent.* (Martian. idem ait mandatis caveri, *in l. 3. §. si qui eod. tit.* & Tacitus *lib. 6.* inquit, *eorum qui damnati non essent corpora humari, manere testamenta*) & Senatus consulto comprehensum erat: *Nullius mortui bona, antequam de eo pronuntiatum sit, publicanda sunt, eaque bona hæredes possidere debent*; nisi si forte conscientia sceleris, & imminentis supplicii metu, mortem sibi consciverint; tunc enim pro confessis & convictis habentur, eorumque neque testamenta manebant, neque legitima successio dabatur, sed fiscus bona occupabat, ut Ulpianus supetiori loco, & alii Jurisconsulti passim advertunt. *l. 3. per totam, ff. de his qui ante sent. l. 1. Cod. eod. d. l. in fraudem, §. ejus bona, l. 6. p. ejus qui, ff. de injust. rupt.* Tacit. *suprà*: Vide Mantic. *in Exhir. c.* 99. & 100.

Fuit quippè semper, de se statuere, admodum turpe, ut graviter Ægesippus, *lib.* 3. *excid. cap.* 21. & Augustinus *lib.* 1. *de civit. Dei, c.* 17. & omninò videndus Annæ. Rob. *lib.* 1. *rer. jud. c.* 12. & Jacob. Durant. *observat. c.* 3. ostendunt; & tunc præcipuè turpissimum, ubi quis metu criminis violentas sibi manus inferret. Unde hujusmodi reum, qui sententia voluntaria morte prævenit, Inhumatum abjicit; sine successore manere, à propinquis vel conjuge non lugeri, nomen ejus in parentationibus, sine ferali cœna à cognatis non dici, in qua tamen cæterorum propinquorum defunctorum nomina dicebantur, tam Jurisconsultorum, quàm aliorum Auctorum testimoniis probatur: Plato *lib.* 9. *de leg.* Quint. *declam.* 337. Forn. 3. *select. c.* 11. *dict. l.* 3. *de bonis eorum, qui ante sent. l. liberorum*, §. *non solent, ff. de his qui notantur infamia*: Attemid. *de somn. interpr. lib.* 1. *c.* 5. Alciat. *lib.* 6. *paver. c.* 27.

At nos de parricidæ etiam bonis, & hæreditate tractemus, qui non accusatus tantum, verùm & damnatus infandissimi hujus sceleris fuit: Et constat hunc simul atque condemnatus est, bonis omnibus exui, quia capitale supplicium bonorum omnium publicatio sequebatur, *l.* 8. §. 1. *de testam. l.* 2. *Cod. de bon. proscrip. l.* 15. *tit.* 1. *part.* 6. & per consequens neque testamentum ab eo fieri posse, & anteà factam rescindi, & ne ab intestato quidem ei hæredem contingere; cùm pœnæ servus statim efficiatur *l.* 6. §. *irritum, de injust. rupt. l. qui ultimo* 29. *ff. de pœnis.*

Quod planè, quoad testamentum attinet, etiam noviori jure observandum videtur; nam licèt ex Justiniani legibus, nemo benè natus servus pœnæ reddi possit, *Auth. sed hodie, Cod. de donat. inter.* & damnati bona, excepto majestatis crimine, descendentibus & ascendentibus usque ad tertium gradum, confiscatione cessante, præstari jubeantur, *Auth. ut nulli jud. liceat*, §. *fin. collat.* 9. non tamen ideò magis parricidii reus, aut quivis alius, qui capite damnatus fuerit, testamenti factionem habebit, ut Accursii, *in dict. l.* 8. *verb. publicabuntur, de testam. & in d. dict. auth. sed hodie*: Bartol. *in d. l. qui ultimo*: Paul. Cujac. & cæteri *in dict. l.* 8. §. 1. *de testam.* Onciacus *lib.* 1. *academ. quæst. c.* 41. & aliorum scriptis probatur.

In quo articulo non omninò displicet Francisci Hotomanni sententia, qui, hoc ut rei capitalis damnati testamenti faciendi facultate interdicantur, posterioribus Jurisconsultorum temporibus receptum videri; arbitratur, *in d. l.* 8. *de testament.* Nam & Cornificius *ad Heren.* & Cicero *lib.* 2. *de inventione*, de eo, qui parricidii judicatus erat, verba facientes, apertè testantur, certam nullam fuisse legem, quâ damnatis culleo, testamenti factio prohiberetur, & inter testamentarios, & legitimos parricidæ hæredes, controversia mota, rem totam ex conjecturis, & ratiocinatione pendere demonstrant.

Apud nos autem Regio quo utimur jure, cùm damnati ad mortem, ubi confiscatio specialiter in pœnam criminis statuta non est, tam ex testamento quàm ab intestato hæredes habere possint, & nedum ante, verùm & post condemnationem ultimi elogii condendi jus habeant, *leg.* 4. *Tauri, quæ est lex* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. *recop.* ubi omnes, & latè Covarr. 3. *part. Rubr. de test. n.* 27. Molin. *de primogen.*

lib.4. c. 12. nulla inter parricidii, & aliorum maleficiorum reos differentia constitui debebit. Sed videamus quid de illis bonis faciendum sit, quæ illius fuerant, qui à parricida interfectus est, & an ea fiscus, quo casu, vel omnia vel eorum pars, ad parricidam tanquam ad hæredem legitimum spectabant, ab ipso ut ab indigno auferat, an ad parricidæ hæredes pertineant? vel eis remotis sequentibus agnatis adjudicentur? Quæ quidem quæstio in difficili esse videtur, propter diversas, quæ in ea reperiuntur Doctorum sententias, quas sigillatim Boërius *quæst. 25.* Mantua *in Enchirid. capit. 233.* latè Marcus Antonius Peregrinus *in tract. de jure fisc. lib. 2. tit. 3. per totum*, recensent. Inter quas ea frequentiori calculo ab Interpretibus adprobatur, ut occisi hæreditas ad parricidam, & ejus filios vel hæredes, servato sanguinis gradu, pertineat, eam tamen per fiscum ab eis, ut ab indignis auferri.

Nam etsi fratris vel alterius ex agnatis factum, proximioribus, vel his qui sunt in eodem gradu neutiquam noceat, juxta Bartol. *in l. si sequens gradus, ff. ad Syllan. & in l. 1. ff. si quis aliquem testari.* Bald. *in l. data opera, Cod. qui accus. non post.* Gregor. Lopez *in l. 6. tit. 7. p. 6. verb. del heredero*, doctrinam, sibi tamen, & eis qui ab eo succedunt, vel remotiori gradu sint, non immeritò nocet. Etenim si hæres qui mortem defuncti non vindicavit indignus censetur *l. 1. C. de his quibus ut indig. l. ei qui, ff. eod. tit.* quanto magis eum, qui defuncti mortem non atroci scelere procuravit, indignum existimabimus? qui, ut alibi Pompon. *in l. si ab hostibus, §. fin. ff. solut. matr.* scripsit: *Non debet ob facinus suum hæreditatem sperare lucri facere.* Aut cur remotior hæres jus suum sibi ereptum queretur? cùm ipse si nullum admissum crimen foret, nihil esset habiturus, cumque ne ad ipsos quidem parricidæ filios quidquam ex occisi bonis sit perventurum, ut Paulus *in l. cum ratio, in fin. de bon. damnat.* his verbis scriptum relinquit: *Præterea ex bis, quæ per flagitium damnatus acquisivit, portiones liberorum non augentur, veluti si cognatum suum interimi curaverit, & ejus hæreditatem adierit, vel bonorum possessionem acceperit.* Sed licèt hæc ita sint, in contrariam tamen sententiam, me, juris, & Senatus Parisiensis auctoritas vocat, à quo in prædicta quæstione parricidam non indignum, sed incapacem sæpe pronuntiatum fuisse, & sic nec aliis agnatis ejus facinus præjudicium inferre: Nicol. Boër. *d. q. 25.* Joan. Gallus *q. 266.* & novissimus Marc. Ant. Peregrin. *de jure fisc. lib. 2. tit. 3. n. 6.* & Anton. Robert. *lib. 3. rer. judic. cap. 7.* eruditè plurimus in utramque partem adductis, commemorant.

Constat etenim unius ex agnatis scelus, cæteris, qui ejusdem sunt familiæ nocere & præjudicium afferre, conveniens non esse, *l. 2. §. fratris, ff. si quis aliquem, l. sanctimus, C. de pœnis*, & eum, qui ad succedendum inhabilis est, reliquis non obstare, sed tunc, qui uno gradu remotior est, pro agnato proximiore haberi, *l. si post mortem, §. liberi, de cont. tab. l. 1. C. de hæred. instit.* Et præterea evidens est pro hac opinione Pomponii responsum, *in dict. l. si ab hostib. §. 1.* in quo cùm uxor à marito occissa fuisset, etsi maritus superstes ex pacto dotem lucrari debere videretur tamen maritus ob suum facinus dotis emolumento privatur, & non fisco, sed legitimis uxoris hæredibus actio dotis acquiritur.

Quibus accedit, quod in feudorum libris *c. 1. §. similiter* ubi Glos. *verb. fratrem, quib. mod. feud. am.* Peregrin. *d. tit. 3. num. 3.* in specie maximè ad nostram accommodata cavetur, eum, qui fratrem occiderit, ut totum feudum habeat, feudo quidem privari, illud verò ad proximum agnatum devolvi. Quod idem in nostræ Hispaniæ primogeniis absque dubio procedere: Gregor. Lopez *in d. l. 6. verb. del heredero*: Mieres *de majorat. quæst. 4. num. 13.* Molina *de primogen. lib. 3. cap. 2. num. 32.* Vela *de delic. c. de homicid. num. 19.* testantur. Sed & Longobardicis legibus idem omninò caverum invenimus: Rex enim Lothar. *l. 1. & 2. de parric. in leg. Longob.* & Lutprandus parricidæ animam potestari Regis relinquunt: ad hæreditatem, & bona non solùm occisi, verùm & occisoris fiscum non aliter admittunt, quam si alii proximiores parentes, id est legitimi hæredes defuerint. Quas leges licèt quoad hæreditatem interfectoris posteà Imperator Henricus reformaverit, constituens ut in fiscum redigeretur, quod tamen ad bona interfecti pertinet, illibatas manere decrevit, ut constat ex illius verbis, quæ sic habent, *l. fin. eod. tit. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, vel nepotem aut aliquem suum propinquum, per se, aut per aliam interfecerit, hæreditas interfecti ad alios suos legitimos hæredes perveniat; hæreditas verò interfectoris in fiscum redigatur; ipse verò ordinante Episcopo publica pœnitentia subditur. Quòd si ille, cui crimen mittitur, negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat campionem pro se dare, nisi decrepita ætas, aut juvenilli, aut infirmitas pugnare prohibuerit.* Qua in lege obiter animadverto, purgationem illam vulgarem, quam per duellum fieri jubet, in lege antecedenti ita fieri jussam, ut qui se occidisse negaverit, ad novem vomeres ignitos ad judicium Dei examinandum accederet. Erat quippe ea ætate non apud Longobardos modo, verùm & apud alias gentes frequens hic mos, ut suspicio criminis, vel pugna, vel candentis ferri susceptione, vel aliis similibus modis purgaretur, quousque Pontifices hujusmodi judicium utpotè in quo Deus tentari videretur, interdixerunt, *cap. 1. & 3. de purg. vulgar. c. ex tuarum, de purg. canon. c. Mennam, 2. q. 5.* Quæ de re non gravaret aliqua in medium adducere, si vel id instituti nostri ratio pateretur, vel ab aliis multa hoc spectantia diligenter congesta non fuissent: vide Anastas. Germ. *in pract. de purg. Can.* Prat. *verb. purgatio*: Anton. Rob. *lib. 1. rer. judic. c. 2. fol. 72.* & latiùs Petr. Gregi. *lib. 48. syntag. cap. 15. per totum.*

CAPUT XX.

Parricidii crimen publicum esse. Ideò ejus accusationem cuivis è populo datam. Parricidio Rempublicam læsi. Parricidii accusationem nullo temporis spatio finiri, licèt reliqua crimina vicennio extinguantur. Paulus in leg. fin. de parricidiis *expositus. Nova ejus interpretatio cum Cujacio relata. Quæ tamen rejicitur posteà; & communis magis probatur.*

SEd ut receptui canamus, & tot vexata fluctibus nostræ tractationis navicula, optatum portum, quem jam velut umbram non procul aspicio, tandem appellat, ultimo hoc capite de parricidii accusatione, brevitate Laconica nonnulla præstringam. Et verò constat crimen hoc inter judicia publica optimo jure relatum, *§. alia deinde, junctâ Rub. inst. de pub. jud.* quippè cùm ut Macer. ait, *in l. 1. de pub. jud.* ex legibus publicorum judiciorum originem trahat. Cui & illud consequens esse videtur, ut cuilibet de populo ejus accusandi potestas sit.

Etenim (quicquid Duarenus *lib. 1. disputat. c. 37.* Goveanus *1. var. c. 27.* Eguin. & Hoto. *in princip. de pub. judic.* Brisson. *de verb. juris, verb. publica*, velint) verissima est Justiniani Imperatoris sententia, neque ab aliorum Jurisprudentum responsis aliena, qui publica judicia inde dicta nos docet, quod cuivis de populo eorum executio plerumque conceditur, *in princ. de pub. judic. l. palam, §. Senatus, de rit. nup. l. lege Cornelia 30. ff. de falsis, l. quamvis, Cod. de adult.* defendit Rævard. *1. var. c. 27.* Caron. *1. verosim. c. fin. 1. antiq. Rom. cap. 14.* & Cujac. *8. observat. c. 33.* Robert. *lib. 4. sentent. cap. 10.* Neque potuit asperrimi hujus criminis accusatio non omnibus dari, cujus atrocitas & universam Rempublicam, & quemlibet è populo lædere existimatur.

Philippi II. optimi Maximi Hispanorum Regis memoria à calumnia Petri Fabri vindicatur, 64. 2.
Piacularis.
Piacularis hostia, 30. 2.
Pietas.
Pietas virtutum omnium fundamentum, 53. 2. & vultu læditur, 3. 2.
Pietas æqualis debetur omnibus parentibus, 65. 2.
Pietas in parentes multis commoneatur, & naturali ex jure descendit, 38. 2.
Pietatis templum quo loco à Romanis conditum, 42. 2.
Pilatus.
Pilatus quod Christum Dominum occiderit, an fuerit parricida, 42. 2.
Pilati mors, *ibid.*
Pisidas.
Pisidas parentibus quasi diis libavit, 37. 2.
Plato.
Plato qualiter puniendos judicaverit parricidas, 9. 2.
Platonis loci insignes, 2. 2. & alibi passim.
Plagiarius.
Plagiarii, & compilatores alienorum librorum reprehenduntur, 15. 2. & 38. 2. & 51. 2.
Plautus.
Plauti locus difficilis exponitur cum Lambino, & alii citantur, 17. 2. & alibi passim.
Plinius.
Plinii utriusque loci, 2. 2. & alibi passim.
Plautius.
Plautius Sylvanus cur Romæ damnatus? 59. 2.
Plorare.
Plorare quid significet, quid proquiritare, 10. 2.
Pluralis.
Pluralis pro singulari sæpe ponitur, 25. 2.
Poncia.
Poncia duos filios veneno necavit, 54. 2.
Polignotus.
Polignotus qualiter inferos descripserit, 21. 2.
Polypus.
Polypi parentes necant, 27. 2.
Pratejus.
Pratejus damnatur, 21. 2.
Praxis.
Praxis omnia melius docet, 33. 2. *& seqq.*
Præceptores.
Præceptoribus quantum debeatur, & an qui eos occiderit parricidii teneatur, 44. 2.
Priamus.
Priami luctus ob filium in conspectu suo à Pyrrho necatum, 53. 2.
Principes.
Principum scelera latere non possunt, & populi reprehensionem effugere, 20. 2. 21. 2.
Principem qui occiderit, an parricidii teneatur? 44. 2.
Privilegium.
Privilegium amittit qui eo malè utitur, 47. 2.
Probatio.
Probationes in parricidii crimine quales, 64. 2.
Properare.
Properare fata quid sit, 35. 2.
Proscriptus.
Proscriptus pater an à filio impunè occidatur, 41. 2.
Proscriptis alimenta, & alia, quæ naturalis juris sunt debentur, *ibid.*
Psylli.
Psylli & Marsi venena non nocent, 26. 2.
Ptolemeus.
Ptolomeus Philopater cognominatus, quia patrem occidisset, 2. 2.
Publicius.
Publicius Malleolum matrem primus apud Romanos interfecit, 6. 2.
Publicum.
Publica crimina quæ, & quare dicantur, 69. 2.
Puerpera.
Puerperæ cujusdam pietas admiranda erga matrem, 41. 2.
Purgatio.
Purgatio vulgaris qualiter olim fieret, 67. 2.
Purgationis vulgaris materiam qui latè tractent, 68. 2.

Q

Quæstor.
Quæstorum parricidii officium, & numerus, 4. 2.
Quæstio.
Quæstiones publicæ de parricidio à quo institutæ, *ibid.*

Quæstio parricidii quomodo habenda, 58. 2.
Quintilianus.
Quintiliani loci citantur & expenduntur, 2. 2.
& alibi pas. 2.
Quintus.
Quintus Fabius Servilianus, quod filium occiderit, parricidii damnatus fuit, 49. 2.

R

Respublica.
Reipublicæ status pœnis, & præmiis servatur, 2. 2.
Regnum.
Regnum nullum absque parricidio, 7. 2.
Res.
Re sua ne quis malè utatur Reipublicæ expedit, licèt libera sit administratio, 47. 2.
Romulus.
Romulus cur leges in parricidas non sanxerit, 5. 2.
Romani.
Romanis quæ pœna in parricidas, 10. 2.
Romani armis, & legibus excelluerunt, *ibid.* 2.
Romani cives cur virgis, aut flagris cædi non poterant, 25. 2.
Romulus.
Romulus, & Romani qualiter exponentes filios punierint, 47. 2.
Romulus an, & quare Remum fratrem occiderit, 61. 2.

S

Sabinus.
Sabinus à suis auditoribus ut plurimum sustentabatur, 45. 2.
Sacrare.
Sacrare quid, & quid sacrati homines, & sacratæ leges, 10. 2.
Sacrati homines cur impunè à quolibet possint occidi, cùm reliqua sacra violare nefas sit, *ibid.*
Sardi.
Sardi parentes fustibus cædebant usque ad mortem; & Sardonius risus unde? 8. 2. & 9. 2.
Sacrilegi.
Sacrilegi parricidis similes sunt, & quare, 26. 2.
Sacrilegos qualiter punierint Æthiopes, *ibid.*
Sagmen.
Sagmen, & sagminæ virgæ quibus in rebus usurpatæ, 16. 2.
Sallustii.
Sallustii loci, 2. 2.
Sanguinea.
Sanguineæ virgæ quæ, 17. 2.
Et quæ sagmineæ, & saliglneæ, 26. 2.
Sanguinolenti infantes qui dicantur, 47. 2.
Sanguinis pœna Jure Canonico nunquam imponitur, 34. 2.
Scævola.
Scævola Jurisconsultus, & alii magni viri pila ludebant, 26. 2.
Scorpio.
Scorpiones flagellorum genus, 25. 2.
Scorpiones parentes necant, & quomodo, 27. 2.
Scylla.
Scylla patrem Nisum prodidit, & perdidit, 28. 2.
Seneca.
Senecæ loci referuntur, & expenduntur, 2. 2.
& alibi passim.
Senectus.
Senectus venerabilis est, 40. 2.
Senatusconsultum.
Senatusconsultum Plautianum, 42. 2.

Sepultura.
Sepultura parricidæ interdicti, & quare, 32. 2.
Sepulturam humanitatis ratione mortuis deberi, natura ab omnibus curari, quin & ab animalibus, aliquando tamen damnatis justa ex causa interdici, & alia de sepultura 34. 2.
cum multis seqq.
Sepultura an, & quatenus hodie parricidis denegetur, 31. 2.
Servus.
Servi in ægritudine à domino destituti liberi fiunt, 42. 2.
Severus.
Severus Imper. Antonino filio à quo parum abfuit ut interficeretur, pepercit, 63. 2.
Simia.
Simiam insui cum parricidis, & quare, 26. 2.
cum seqq.
Simiæ maximè homines imitantur, & nimis complectendo catulos necant, 27. 2.
Soleæ.
Soleæ lignea quæ apud Ciceronem, & earum usus, 19. 2.
Solon.
Solon in parricidas non statuit, & cur, 5. 2.
Solonis lege nihil parentibus debebant spurii, 40. 2.
Vel qui artem aliquam ab eis edocti non essent, 43. 2.
Spitamenes.
Spitamenis Regis uxorem cur aversatus fuerit Alexander, 58. 2.
Sponsa.
Sponsam qui interfecerit, an teneatur parricidii, 53. 2.
Statua.
Statuæ aliquando damnatæ, & quare, 3. 2.
Stephanus.
Stephani Pighii sententia rejicitur, 21. 2.
Stratesiclea.
Stratesiclea ut prior filio occideretur, tortores rogavit, 53. 2.
Struthio.
Struthionis avis maxima est erga fœtum oblivio, 31. 2.
Suetonius.
Suetonii Tranquilli locus de confessione parricidii in dubium vocatur, 64. 2. & alii citantur, & expenduntur, 14. 2.
Superstitiosus.
Superstitiosi, qui, & unde dicantur, 32. 2.
Supplicia.
Supplicia quæ apud Romanos in delictis atrocioribus usurpata, 5. 2.
Symmachus.
Symmachi loci, 6. 2.

T

Tantalus.
Tantali parricidium, & pœna, 54. 2.
Tarquetius.
Tarquetii cujusdam parricidium, & supplicium, 9. 2.
Telegonus.
Telegonus qualiter Ulyssen patrem occiderit, 8. 2.
Theodoricus.
Thodorici Regis filia matrem sacrum Domini corpus sumentem interfecit, & qualiter punita fuerit, 9. 2.
Theophilus.
Theophili ratio probatur, 22. 2.
Terentius.
Terentii loci exponuntur, & citantur, 8. 2.
& alibi passim.
Terra.
Terra communis omnium mater, 32. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Testamentum.
Testamentum damnati ad mortem an facere possent, & quid hodie, 67. 2.
Tertullianus.
Tertulliani loci citantur, & expenduntur, 28. 2. & 32. 1. & 41. 2. & 47. 2. & 53. 2. & 58. 2. & 63. 2.
Thebani.
Thebanorum lex adversus eos, qui filios exponerent, 43. 2.
Thomeis.
Thomeis culleo sanguine pleno Cyri caput insui jussit, 20. 2.
Tiberius.
Tiberius Gracchus uxoris vitam propriæ præposuit, 59. 1.
Tigris.
Tigris quantum filios amet, 52. 2.
Titus.
Titi Livii locus expenditur, 46. 2.
& alii citantur, 4. 2. *& alibi passim.*
Titus Arius filio parricidium parasse comperto, Augusto suadente peperci, 63. 2.
Tribonianus.
Triboniani manus sæpe agnoscitur in responsis Prudentum, 14. 2.
Tullia.
Tulliæ Servii Tullii Romanorum Regis filiæ, detestandum parricidium, 6. 2.

V

Valerius.
VAlerii locus latè discutitur, & emendatur, 11. 2.
& alter 48. 2. & alii citantur, & expenduntur, 5. 2.
Varro.
Varronis loci citantur, & exponuntur, 11. 2.
Vendere.
Vendendi filios licentia quando in usu, 46. 2.
Venenum.
Veneni propinatio etiam non sequuta morte pœna ordinaria punitur, 63. 2.
Veneno occidere gravissimum crimen, & quare, *ibid.*
Verbena.
Verbena herba pura, & sacra apud Romanos, 16. 2.
Vertagus.
Vertagus solus venatur dominis, 22. 2.
Vespasianus.
Vespasianus cur Demetrium canem appellaverit, *ibid.*
Virga.
Virgarum definitio, & etymologia, 17. 2.
Virgæ sanguineæ quæ, & cur dictæ, & quæ saliginæ, & sagmineæ, & earum usus, 16. 2. *cum seqq.*
Virgis cur parricidæ afficiantur, 14. 2.
Villius.
Villius Annalis à filio proditus, 8. 2.
Vipera.
Vipera cum parricida culleo insuitur, & quare, & an una an plures, 25. 2.
Viperæ nascendo parentes enecant, hoc à multis negatum, & à plurimis assertum, 26. 2. *& seqq.*
Vipera apud Ægyptios mulierem viri amplexus nimis appetentem significabat, *ibid.*
Vipera parricidæ hieroglyphicon, & quod serpentis genus sit, & cur natura, ut parentes necaret, providerit, *ibid.*
Virgilius.
Virgilii loci, 10. 2. *& alibi.*
Virginius.
Virginius filiam occidit, & quare, 46. 2.
Vitis.
Vitis cur diceretur supplicium honorare, 25. 2.
Vitia.
Vitiorum facilior imitatio quàm virtutum, 7. 2.
Ulysses.
Ulyssei canis fidelitas admiranda, 22. 2.
Vocatio.
Vocatio in jus quomodo fieret, 39. 2.
Volcus.
Volci fratricidium, 60. 2.
Voluntas.
Voluntas delinquendi an, & quando puniatur, 62. 2.
Urna.
Urnæ & amphoræ spartæ aliquando, & in quem usum, 17. 2.
Vulcanus.
Vulcani templum apud Ethnam canes ab immundis, & obscœnis custodiebant, 21. 2.
Vulpanser.
Vulpanseris avis sollicitudo pro pullis, 52. 2.
Uxor.
Uxorem qui occiderit an parricidii teneatur, 57. 2. *& seqq.* & an qui sponsam, 59. 2.
Uxores in potestate maritorum apud Gallos, & quando filii loco apud Romanos, 57. 2.
Uxorem occidere gravius est quàm patrem, aut matrem, 58. 2.
Uxores mariti amare, non severè tractare debent, *ibid.*
Uxores qualiter colendæ secundùm Catonem, *ibid.* 2.
Uxor ob sævitiam malæ tractationis actionem habet adversus maritum, 59. 2.
Uxores apud aliquas nationes maritis mortuis sibi mortem consciscunt, *ibid.*
Uxorum appellatio quando ad sponsas trahatur, *ibid.*

Z

Zelus.
ZOilus quis, & quæ ejus mors, 45. 2.

FINIS.

DE VULGARI PUPILLARIQUE SUBSTITUTIONE DECEM CONCLUSIONES,

A D. AMERICO MARTIO MEDICEO, JURIS STUDIOSO, in Salmantina Academia publicè disputatæ.

PRÆFUIT

D. D. JOANNES DE SOLORZANO ET PERETRA, J. C. vel ad priscam ætatem elegantissimus dignissimusque Vespertinæ juris Cæsarei Cathedræ Antecessor.

SALMANTICÆ, mens. Augusti, Anno 1609.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Testamentum.
Testamentum damnati ad mortem an facere possent, & quid hodie, 67. 2.
Tertullianus.
Tertulliani loci citantur, & expenduntur, 28. 2. & 32. 1. & 41. 2. & 47. 2. & 53. 2. & 58. 2. & 63. 2.
Thebani.
Thebanorum lex adversus eos, qui filios exponerent, 43. 2.
Thomeis.
Thomeis culleo sanguine pleno Cyri caput insui jussit, 20. 2.
Tiberius.
Tiberius Gracchus uxoris vitam propriæ præposuit, 59. 1.
Tigris.
Tigris quantum filios amet, 52. 2.
Titus.
Titi Livii locus expenditur, 46. 2.
& alii citantur, 4. 2. *& alibi passim.*
Titus Arius filio parricidium parasse comperto, Augusto suadente peperci, 63. 2.
Tribonianus.
Triboniani manus sæpe agnoscitur in responsis Prudentum, 14. 2.
Tullia.
Tulliæ Servii Tullii Romanorum Regis filiæ, detestandum parricidium, 6. 2.

V

Valerius.
VAlerii locus latè discutitur, & emendatur, 11. 2.
& alter 48. 2. & alii citantur, & expenduntur, 5. 2.
Varro.
Varronis loci citantur, & exponuntur, 11. 2.
Vendere.
Vendendi filios licentia quando in usu, 46. 2.
Venenum.
Veneni propinatio etiam non sequuta morte pœna ordinaria punitur, 63. 2.
Veneno occidere gravissimum crimen, & quare, *ibid.*
Verbena.
Verbena herba pura, & sacra apud Romanos, 16. 2.
Vertagus.
Vertagus solus venatur dominis, 22. 2.
Vespasianus.
Vespasianus cur Demetrium canem appellaverit, *ibid.*
Virga.
Virgarum definitio, & etymologia, 17. 2.
Virgæ sanguineæ quæ, & cur dictæ, & quæ saliginæ, & sagmineæ, & earum usus, 16. 2. *cum seqq.*
Virgis cur parricidæ afficiantur, 14. 2.
Villius.
Villius Annalis à filio proditus, 8. 2.
Vipera.
Vipera cum parricida culleo insuitur, & quare, & an una an plures, 25. 2.
Viperæ nascendo parentes enecant, hoc à multis negatum, & à plurimis assertum, 26. 2. *& seqq.*
Vipera apud Ægyptios mulierem viri amplexus nimis appetentem significabat, *ibid.*
Vipera parricidæ hieroglyphicon, & quod serpentis genus sit, & cur natura, ut parentes necaret, providerit, *ibid.*
Virgilius.
Virgilii loci, 10. 2. *& alibi.*
Virginius.
Virginius filiam occidit, & quare, 46. 2.
Vitis.
Vitis cur diceretur supplicium honorare, 25. 2.
Vitia.
Vitiorum facilior imitatio quàm virtutum, 7. 2.
Ulysses.
Ulyssei canis fidelitas admiranda, 22. 2.
Vocatio.
Vocatio in jus quomodo fieret, 39. 2.
Volcus.
Volci fratricidium, 60. 2.
Voluntas.
Voluntas delinquendi an, & quando puniatur, 62. 2.
Urna.
Urnæ & amphoræ spartæ aliquando, & in quem usum, 17. 2.
Vulcanus.
Vulcani templum apud Ethnam canes ab immundis, & obscœnis custodiebant, 21. 2.
Vulpanser.
Vulpanseris avis sollicitudo pro pullis, 52. 2.
Uxor.
Uxorem qui occiderit an parricidii teneatur, 57. 2. *& seqq.* & an qui sponsam, 59. 2.
Uxores in potestate maritorum apud Gallos, & quando filii loco apud Romanos, 57. 2.
Uxorem occidere gravius est quàm patrem, aut matrem, 58. 2.
Uxores mariti amare, non severè tractare debent, *ibid.*
Uxores qualiter colendæ secundùm Catonem, *ibid.* 2.
Uxor ob sævitiam malæ tractationis actionem habet adversus maritum, 59. 2.
Uxores apud aliquas nationes maritis mortuis sibi mortem consciscunt, *ibid.*
Uxorum appellatio quando ad sponsas trahatur, *ibid.*

Z

Zelus.
ZOilus quis, & quæ ejus mors, 45. 2.

FINIS.

DE VULGARI PUPILLARIQUE SUBSTITUTIONE DECEM CONCLUSIONES,

A D. AMERICO MARTIO MEDICEO, JURIS STUDIOSO, in Salmantina Academia publicè disputatæ.

PRÆFUIT

D. D. JOANNES DE SOLORZANO ET PERETRA, J. C. vel ad priscam ætatem elegantissimus dignissimusque Vespertinæ juris Cæsarei Cathedræ Antecessor.

SALMANTICÆ, mens. Augusti, Anno 1609.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ILLUSTRISSIMO,
ATQUE EXCELLENTISSIMO
D. D. FRANCISCO MEDICEO
SERENISSIMI MAGNI ETHRURIÆ
DUCIS FRATRI.

D. Americus Martius Mediceus.

ULYSSES *Ille Homericus in stadio cum Ajace cursu certans, Palladem precibus affatur, ut eum compotem victoriæ faciat: an non ego supremum aliquod numen, primitias ei laborum meorum (veluti aristas Cereri) consecrans oravero, ut mihi hoc literarum cursu certanti favoris auram benigniter aspiret? cum me jussu Alexandri Martii Medicei istius floridissimæ urbis Archiepiscopi, ac Patrui mei amantissimi his adstrinxi studiis, nihil in votis, nisi tibi uni* Illustrissime, atque Excelentissime Princeps *litare. Triennium jam in iis sum: Quid ni ergo primos hosce tibi fructus offeram? quos si exceperis, pernicitatem pedibus meis ad hoc fœliciter spatium decurrendum, non secus ac Ulyssi illi Pallas, addideris. Et profectò hoc tibi debitum, si in animo revolvo quis tu, quis ego, qui tui, qui mei fuerint. Mei amplissimæ* Mediceorum *familiæ tuorum munere inserti fulgent clariùs. Tui (omitto stemmata, imagines, divitias, facinora, Regna) qui deportatas jam, & toto pulsas orbe literas revocarunt, certisque firmarunt fulcris, nimirum suæ stirpis germinibus. Cujus non hærent memoriæ* Cosmi *illi Magni,* Laurentii, Leones? *Quis* Ferdinandi *Patris tui sene illo,*

Cujus à lingua melle dulcior fluebat vox,
Ilicad. lib. 1.

prudentioris non recordabitur? At quis ego? nempe is, quem non natura solum senissimo fratri tuo Magno Ethruriæ Duci, *sed & ejus benignitas subjecit. Te verò in tenera ætate grandis prudentia, disciplinarum amor, comitas, atque præclarissima indoles non oculis dumtaxat universorum, verùm admiratio-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tioni exponunt. Jure igitur beneficia cùm vetera, tùm recentia hoc sibi vendicant; ipsæquemet literæ ad te ire (seu familiam, seu tuam videas propensionem) satagunt, & vovent; quibus si obsistam, meritò de me queratur Themis. Novi præterea milites sub magni, & periti Imperatoris aldm præliari acrius; & hoc in causâ, cur hunc depromptorum ex juris scientiâ dogmatum, quorum veritatem defendendam suscepi, manipulum tuo illustrari nomine voluerim; an non adversarios, si tu faveas, hilari fronte ultrò aggrediar, & penè dixerim, profligabo? Faves? quid ni? Triplex tibi causa: theatrum ubi hæc edita certamina, Salmanticæ nimirum, totius orbis terrarum celeberrimum. Meæ fautor partis Joannes de Solorzano Antecessor præstantissimus, juvenis adhuc, & eo cæteris doctior, quo junior: meus denique affectus, qui ut hæc tibi offert, utinam semetipsum ad tuos se sistere pedes posset, & explicari. Ergo non dubito quin ad me spectatores utrumque vertant pollicem; at invidi, malevolique plures: despicio: nonnè simul ac lividos oculos contorserint, subita, & magna tui nominis luce cæcutient? spes omninò certa: eaque jam jam exhilaratus futuri successus securus rubrum in castris pendens vexillum videre gestio. Interim Illustrissime, atque Excellentissime Princeps *libellum hunc accipe, ubi relatas, atque ad vivum pictas ipsasmet quasi pugnas conspicias: si quæ tenuia nimis, vel levia cognoveris, aspice tamen. Ut stannum, & æs solis radiis opposita argentum, aurumque judicas, sic illa simul ac oculorum aciem intenderis, non nisi optima, atque elaborata videri poterunt. Hoc tibi tandem quicquid est libelli, mei affectus, cultusque sincerum monumentum, do, dico. Utinam tibi Deus ea, quæ nos tui clientes, quique in tuo jam esse ære gloriamur, & merita tua elatis supercilliis cognoscimus; vovemus, & precamur.* Salmanticæ Kalendis Augusti M.DC.IX.

EX

EX NOBILIBUS JURISCONSULTORUM, CÆSARUMQUE responsis in lege secunda, l. Verbis civilibus 7. l. Centurio 15. ff. de vulg. & pup. & l. Precibus 8. Cod. de Impub. & aliis substitutionibus sequentes proponuntur Juris studiosis disputandæ Conclusiones.

PRIMA CONCLUSIO.

TEstamentum, quod pater impuberibus liberis facit, & inde pupillaris substitutio appellatur, Romanorum olim mores introduxerunt, & noviores postea Cæsarum leges scripto formarunt. In quo nihil ex privilegio parentibus datum, sed omnia ex summo patriæ potestatis imperio, & civilis juris regulis promanasse, contra plures defendam.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ubi masculus decimiquarti anni, & fœmina duodecim ultimum tetigerit diem, substitutionem pupillarem penitùs extingui contendo. Adeo ut nec jure fideicommissi postmodum sustineatur, etiam si in ea longius tempus complexus fuerit parens.

TERTIA CONCLUSIO.

Pupillarem Substitutionem his solùm liberis, qui vel naturali & legitimo jure, vel legitimo tantùm in patris potestate testamenti, & mortis tempore fuerint, fieri posse tuebor. Extraneis autem naturalibus, vel emancipatis, aut etiam nepotibus in alterius potestate recasuris, etiam à milite, inutiliter fieri, neque (quicquid alii existiment) fideicommissi jure defendi.

QUARTA CONCLUSIO.

Mater, aliique per maternam lineam ascendentes, ob defectum patriæ potestatis, pupillarem substitutionem facere nequeunt; quinimo nec ipse etiam poterit pater, nisi prius sibi (si paganus sit) justum, & solemne condiderit testamentum, & filium, cui pupillarem substitutum scribit, vel nominatim hæredem instituerit, vel ut oportet exhæredaverit. Neque enim probo Bartoli, & aliorum sententiam, qui tacitam filii institutionem sufficere, perperam arbitrantur.

QUINTA CONCLUSIO.

Compendiosam Substitutionem, Bartolum sequutus, eam esse contendam, quæ sub conditione mortis, vel alia, plura tempora, pluresque substitutionum casus complectitur; quæ si verbis directis à milite fiat, intra pubertatem jure communi substitutum ad patris, & filii hæreditatem admittet; postea verò, ut directa militaris, ad patris dumtaxat, cum fructibus inventis in hæreditate.

SEXTA CONCLUSIO.

Cum præter militis hæreditatem, fructus quoque ejus militari substituto Papinianus adjudicet, dubium ab interpretibus judicatur, de quibus fructibus hoc intelligi debeat. Sed ego verè dicendum existimo, eos tantùm fructus substituto deberi, quos hæres instituti filii percepit, à tempore, quo militaris substitutionis conditio extitit, qui sanè in restitutionem fideicommissariam, haud quaquam, nisi mora præcedente, venirent.

SEPTIMA CONCLUSIO.

Expressam pupillarem substitutionem, vel sub compendiosa contentam, matrem etiam à legitima filii excludere censeo, ut magis communiter Doctores admittunt. Quamvis non defuerint, qui semoris Pontificum decisionibus contrarium jure civili inspecto defendendum existiment.

OCTAVA CONCLUSIO.

Sed an, si miles in primum tantùm casum filio substitutum scripserit, ejus voluntas ad secundum quoque ex Divorum Marci, & Veri constitutione trahatur, non parùm controvertunt authores: multis existimantibus in militis testamento, intellectæ substitutioni locum non esse. Ego sub vulgari expressa, tàm in militis, quàm in pagani testamento tacitam pupillarem latere tuebor. Quæ tamen contra matrem effectum sortiri non possit, nisi nos in contrarium aliquæ conjecturæ deducant.

NONA CONCLUSIO.

Compendiosam Substitutionem impuberi filio sub conditione mortis conceptam, quo casu ut fideicomissaria effectum sortitur, taciram illam conditionem, *si sine liberis*, continere assero, quæ ab acutissimo Papiniano primùm inventa fuit. Quod tamen contrà procedere ostendam, si casualis conditio compendiosæ adjiciatur.

DECIMA CONCLUSIO.

Licèt miles, si velit, etiam filii legitimam fideicommissi onere gravare possit, id tamen in dubio non esse præsumendum affirmo, atque adeo universali hæreditatis restituendæ fideicommisso filii legitimam non comprehendi.

D.

D. OCT. COR. CAM. APO. CLE.

AD LECTOREM.

S. D.

EX qua mihi, benevole Lector, gente assurgis? ex ipsis Aristarchis? ex ipsis, qui criticè literarum ludum, & arena, ut ita dicam, bestiariorum tractant? secede: bonum factum: si hunc libellum non tangas; ac ne videas quidem emissitiis illis oculis; utinam effossis. Ut lectoris officium præire, & summovere, præsertim infames, ne eorum occursu Magistratus majestas contaminaretur; sic metum, morosos, fastidiosos, blennos, buctones arcere, voce, manu, virga! quippe si in manus libellum re ipsa bellum sumant, nec ipsamet Pallas à virosæ linguæ telis Ægide sua defendat; flagitem, ut laudent? ne ut excusent quidem, si quid erratum.

Justa ab injustis petere insipientia est;
Quippe illi iniqui jus ignorant, neque tenent.

An potius, Lector, ex illis est, qui curiosos simulant, & Zenonis sectam augent? Tu quoque gravis, grave si illud intones,

Mentiri nescio; librum,
Si malus est, neque laudare, & poscere

esto; si scriptorem, si rem scriptam in trutina expendas, laudabis nec mendacio. Rudiarus hæc non scripsit; sed qui palo adhuc figit vulnera, quique quod magis mireris,

Adpositam nigræ Lunam subtexit alutæ.

Impie si recotiora petas; ut in pomo non miti acris ille sapor amatur; Sic in adolescentis scriptione. Nosce te ipsum quicumque, & retrò ad eam ætatem trahe; cucurbitas pingebas; dormiebas. Qui ergo tam benè orditur hujus militiæ Tyrocinium, citò eum vitis manet. Complectere modo animo rem: pugnam in Salmanticensi Theatro argumentis, & rationibus depugnatam brevi stylo, & eleganter descripsit, ut oculis Illustrissimi Excellentissimique Principis D. Francisci Medicei, cujus auspiciis manus consertum ivit, necnon Illustrissimi & Reverendissimi Archiepiscopi Florentini patrui sui; quem pariter obsequio, & amore prosequitur, submitteret: non ille famæ suæ consultum hoc libello voluit, neque ipsi votivum, ut verè, Lector, fatear, tibi probari: placeat Magnatibus illis, ad hoc anhelamus, & ideo hæc iis veluti in gustum ingenii sui dedit; an terreri debuit? audi Satyricum.

Stulta est clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

Hoc amplius Lector, si ex Bartolistarum grege mihi ades, & in obsoletorum interpretum verba jurasti: aureisque barbara illa latinitate obduruisti, nihil hic tibi, voluptatem non capies, imò nec quid ipse velit: qui in sedula Cujacii, Duareni, Donelli, Fabrorum, & si qui hujus melioris commatis lectione versaris.

Aspice & hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata Lector mihi ferveat aure.

Noster trivialia communi moneta haud scripsit, sed electa, & acuta. Hæc audis Lector? facilem ergo te præbe. Novitium hunc in Theatrum literarum prodeuntem, fœliciter acclamans plausu excipe: lauda paratum gratiam referre non modo, sed horreo toto: Hoc si nolis: Angeronam respice: pergis, & ad calculos redes? obtempera ipse tuæ conscientiæ, quæ, & si stimulas, vice tribuni tàm iniquæ actioni intercedit, scio. Spernis? I, Lector, colliga manus; sed vide ingenuitatem, tempora, & mores novimus, promptiores ad calumniam, quàm ad veritatem linguæ: ut qui ad portum tendit ventis, procellisque nonumquam sollicitatur; sic invidiæ, & maledictis qui ad gloriam: noster Gallinæ albæ minimè filius in eodem jactabitur æquore, si quid laudis captabit, lucro ponet; sin minus, Portam clamantem audiet.

——Nec te quæsiveris extra.

Tu modo amicissime Americe, perge macte virtute, qui eductus semèl è carcere inoffenso pede ad calcem curres, & post terga reiectis his, qui gravi invidiæ aculeo punctli oblatrant, gratus Patriæ, parentibus, amicis caput olivo redimitum in hoc, ubi de fama contentio est, stadio fores; stimulos addet, si mentis oculos in patrui tui exemplo figes; de quo nihil aliud tibi inest illo (penè enim factus sum garrulus) nisi illud Poetæ.

Vulcanus, Luna, Sol, dies, Dii quatuor
Meliorem nullum illuxere alterum

libet, & verè addere doctiorem, humaniorem, nobiliorem, sed tu, Lector, vale, & Momi personam exue.

AD

AD LEGEM CENTURIO XV.
ff. de vulg. & pupil. subst. habita repetitio.

Ad eandem Præfatio.

Quo didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus,
Innata est rupto jecore, exieris, caprificus.

LICEAT mihi auditores meos (*Illustrissime Rector, Præses sapientissime, Viri Principes, Patres præstantissimi, necnon Universi Carlistimi Condiscipuli*) liceat mihi, Inquam, auditores meos his versibus affari, nam ut Athletæ in stadio oculos ad metam, & bravium intendunt, sic ferè omnes, qui studiis se dedunt, ad gloriam. Ne tamen inducatis in animum me adeo Philotimia obcæcari, qui putem didicisse jam ut illi ipsi, qui apud Persium versus illos usurpant. O stultus ego si putem, & meritò clamet quis.

O medici medium pertundite venam.

Non ego huc prodii apud vos, *Auditores*, ut vel elaborata studia, vel ingenii vires ostentarem. Sed veluti aves cum pullos suos volatum docent, antequam per aëra divagari permittant, paulatim ducunt prius, atque experiuntur; sic ego mei periculum facere optimum duxi, ut sim conscius quem volatum per largum hoc jurisprudentiæ cœlum explicare queam. Hoc verò, ut hic potissimum facerem, vos suassistis, *Auditores*, vestra religione, ac æquitate, hujuscemodi enim arbitros habere, & gaudeo, & jam diù in votis. Præterea allexit ipsamet Salmanticensis Vniversitas, uno verbo dicam, omnibus numeris absoluta, in qua cæteræ omnes velut in speculo, suam posint aspicere deformitatem. Quid verò occasio tanti Præsidis? an non ex remotioribus terræ partibus accurrere huc debuissem, ut sub ejus patrocinium, hodiernum hoc certamen inirem? Non tanti igitur fuit certare, quàm in hoc theatro certare, talibus arbitris, ac tali Præside. Restat ut vobis explicem, quare hunc laborem meum Illustrissimo, Excellentissimoque Principi D. D. Fancisco Mediceo, Serenissimi magni Ethruriæ Ducis fratri consecraverim. Quid putaris? beneficia, affectus, ejus comitas, indoles benignitas, atque natura, quæ me ejus subditum, & clientem peperit. Quid? nonne etiam hæc literarum monumenta ipsi debenturi cujus majores afflictas eas, ac humi jacentes, vel in perpetuum erexerunt? at vela contraho, ne in ejus pelagi altum provehar, unde ventis, quantumvis faventibus, nunquam expediar. Ne igitur constitutos terminos excedam, pro more Papiniani responsum in libro 6. quod Tribonianus in titulo de vulg. & pupil. subst. reposuit, explicandum aggrediar, si prius *Sanctissimam Trinitatem; Beatissimamve Virginem, ut mihi divinam, ac propitiam afflet auram*, oravero.

Sileteque, & tacete, atque animum advertite.

CEnturio filiis, si intra quintum, & vigesimum annum ætatis suæ, sine liberis vita decesserint, directò substituit. Intra quatuordecim annos etiam bona propria filii substitutus jure communi capiet: post eam autem ætatem ex privilegio militum patris dumtaxat, cum fructibus inventis in hæreditate.

ERgo Nos in aciem vocat, *Auditores*, robustissimus quidam ex gente hirsuta Centurionum armorum usu, & contrectatione durus, atque in ipsa juris imperitia privilegio elatus promptior ad ensem, quam ad Prætoris sellam, si de jure suo sibi movearur litigium: is filiolo impuberi, si ejus vita ad vigesimumquintum annum non produceretur, consultum suo testamento de hærede voluit; si tamen in iis ipsis temporis limitibus absque liberis virili hac aura destitueretur. Duo hic maximè advertenda; si bullatus decedat; si sumpta virili toga. Illud enim si acciderit, hæredes qui quasi suppetias laturus secundo expectat gradu, jure quo quisque censetur bona cum patris, tùm filii complectitur (a). At si hoc omisso, sedulò de alio labore-

(a) *L. sed si plures* 10. §. *ad substitutos. ff. de vulg.*

D. OCT. COR. CAM. APO. CLE.

AD LECTOREM.

S. D.

EX qua mihi, benevole Lector, gente assurgis? ex ipsis Aristarchis? ex ipsis, qui criticè literarum ludum, & arena, ut ita dicam, bestiariorum tractant? secede: bonum factum: si hunc libellum non tangas; ac ne videas quidem emissitiis illis oculis; utinam effossis. Ut lectoris officium præire, & summovere, præsertim infames, ne eorum occursu Magistratus majestas contaminaretur; sic metum, morosos, fastidiosos, blennos, buctones arcere, voce, manu, virga! quippe si in manus libellum re ipsa bellum sumant, nec ipsamet Pallas à virosæ linguæ telis Ægide sua defendat; flagitem, ut laudent? ne ut excusent quidem, si quid erratum.

Justa ab injustis petere insipientia est;
Quippe illi iniqui jus ignorant, neque tenent.

An potius, Lector, ex illis est, qui curiosos simulant, & Zenonis sectam augent? Tu quoque gravis, grave si illud intones,

Mentiri nescio; librum,
Si malus est, neque laudare, & poscere

esto; si scriptorem, si rem scriptam in trutina expendas, laudabis nec mendacio. Rudiarus hæc non scripsit; sed qui palo adhuc figit vulnera, quique quod magis mireris,

Adpositam nigræ Lunam subtexit alutæ.

Impie si recotiora petas; ut in pomo non miti acris ille sapor amatur; Sic in adolescentis scriptione. Nosce te ipsum quicumque, & retrò ad eam ætatem trahe; cucurbitas pingebas; dormiebas. Qui ergo tam benè orditur hujus militiæ Tyrocinium, citò eum vitis manet. Complectere modo animo rem: pugnam in Salmanticensi Theatro argumentis, & rationibus depugnatam brevi stylo, & eleganter descripsit, ut oculis Illustrissimi Excellentissimique Principis D. Francisci Medicei, cujus auspiciis manus consertum ivit, necnon Illustrissimi & Reverendissimi Archiepiscopi Florentini patrui sui; quem pariter obsequio, & amore prosequitur, submitteret: non ille famæ suæ consultum hoc libello voluit, neque ipsi votivum, ut verè, Lector, fatear, tibi probari: placeat Magnatibus illis, ad hoc anhelamus, & ideo hæc iis veluti in gustum ingenii sui dedit; an terreri debuit? audi Satyricum.

Stulta est clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

Hoc amplius Lector, si ex Bartolistarum grege mihi ades, & in obsoletorum interpretum verba jurasti: aureisque barbara illa latinitate obduruisti, nihil hic tibi, voluptatem non capies, imò nec quid ipse velit: qui in sedula Cujacii, Duareni, Donelli, Fabrorum, & si qui hujus melioris commatis lectione versaris.

Aspice & hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata Lector mihi ferveat aure.

Noster trivialia communi moneta haud scripsit, sed electa, & acuta. Hæc audis Lector? facilem ergo te præbe. Novitium hunc in Theatrum literarum prodeuntem, fœliciter acclamans plausu excipe: lauda paratum gratiam referre non modo, sed horreo toto: Hoc si nolis: Angeronam respice: pergis, & ad calculos redes? obtempera ipse tuæ conscientiæ, quæ, & si stimulas, vice tribuni tàm iniquæ actioni intercedit, scio. Spernis? I, Lector, colliga manus; sed vide ingenuitatem, tempora, & mores novimus, promptiores ad calumniam, quàm ad veritatem linguæ: ut qui ad portum tendit ventis, procellisque nonumquam sollicitatur; sic invidiæ, & maledictis qui ad gloriam: noster Gallinæ albæ minimè filius in eodem jactabitur æquore, si quid laudis captabit, lucro ponet; sin minus, Portam clamantem audiet.

——Nec te quæsiveris extra.

Tu modo amicissime Americe, perge macte virtute, qui eductus semèl è carcere inoffenso pede ad calcem curres, & post terga reiectis his, qui gravi invidiæ aculeo punctli oblatrant, gratus Patriæ, parentibus, amicis caput olivo redimitum in hoc, ubi de fama contentio est, stadio fores; stimulos addet, si mentis oculos in patrui tui exemplo figes; de quo nihil aliud tibi inest illo (penè enim factus sum garrulus) nisi illud Poetæ.

Vulcanus, Luna, Sol, dies, Dii quatuor
Meliorem nullum illuxere alterum

libet, & verè addere doctiorem, humaniorem, nobiliorem, sed tu, Lector, vale, & Momi personam exue.

AD

AD LEGEM CENTURIO XV.
ff. de vulg. & pupil. subst. habita repetitio.

Ad eandem Præfatio.

Quo didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus,
Innata est rupto jecore, exieris, caprificus.

LICEAT mihi auditores meos (*Illustrissime Rector, Præses sapientissime, Viri Principes, Patres præstantissimi, necnon Universi Carlistimi Condiscipuli*) liceat mihi, Inquam, auditores meos his versibus affari, nam ut Athletæ in stadio oculos ad metam, & bravium intendunt, sic ferè omnes, qui studiis se dedunt, ad gloriam. Ne tamen inducatis in animum me adeo Philotimia obcæcari, qui putem didicisse jam ut illi ipsi, qui apud Persium versus illos usurpant. O stultus ego si putem, & meritò clamet quis.

O medici medium pertundite venam.

Non ego huc prodii apud vos, *Auditores*, ut vel elaborata studia, vel ingenii vires ostentarem. Sed veluti aves cum pullos suos volatum docent, antequam per aëra divagari permittant, paulatim ducunt prius, atque experiuntur; sic ego mei periculum facere optimum duxi, ut sim conscius quem volatum per largum hoc jurisprudentiæ cœlum explicare queam. Hoc verò, ut hic potissimum facerem, vos suassistis, *Auditores*, vestra religione, ac æquitate, hujuscemodi enim arbitros habere, & gaudeo, & jam diù in votis. Præterea allexit ipsamet Salmanticensis Vniversitas, uno verbo dicam, omnibus numeris absoluta, in qua cæteræ omnes velut in speculo, suam posint aspicere deformitatem. Quid verò occasio tanti Præsidis? an non ex remotioribus terræ partibus accurrere huc debuissem, ut sub ejus patrocinium, hodiernum hoc certamen inirem? Non tanti igitur fuit certare, quàm in hoc theatro certare, talibus arbitris, ac tali Præside. Restat ut vobis explicem, quare hunc laborem meum Illustrissimo, Excellentissimoque Principi D. D. Fancisco Mediceo, Serenissimi magni Ethruriæ Ducis fratri consecraverim. Quid putaris? beneficia, affectus, ejus comitas, indoles benignitas, atque natura, quæ me ejus subditum, & clientem peperit. Quid? nonne etiam hæc literarum monumenta ipsi debenturi cujus majores afflictas eas, ac humi jacentes, vel in perpetuum erexerunt? at vela contraho, ne in ejus pelagi altum provehar, unde ventis, quantumvis faventibus, nunquam expediar. Ne igitur constitutos terminos excedam, pro more Papiniani responsum in libro 6. quod Tribonianus in titulo de vulg. & pupil. subst. reposuit, explicandum aggrediar, si prius *Sanctissimam Trinitatem; Beatissimamve Virginem, ut mihi divinam, ac propitiam afflet auram*, oravero.

Sileteque, & tacete, atque animum advertite.

CEnturio filiis, si intra quintum, & vigesimum annum ætatis suæ, sine liberis vita decesserint, directò substituit. Intra quatuordecim annos etiam bona propria filii substitutus jure communi capiet: post eam autem ætatem ex privilegio militum patris dumtaxat, cum fructibus inventis in hæreditate.

ERgo Nos in aciem vocat, *Auditores*, robustissimus quidam ex gente hirsuta Centurionum armorum usu, & contrectatione durus, atque in ipsa juris imperitia privilegio elatus promptior ad ensem, quam ad Prætoris sellam, si de jure suo sibi movearur litigium: is filiolo impuberi, si ejus vita ad vigesimumquintum annum non produceretur, consultum suo testamento de hærede voluit; si tamen in iis ipsis temporis limitibus absque liberis virili hac aura destitueretur. Duo hic maximè advertenda; si bullatus decedat; si sumpta virili toga. Illud enim si acciderit, hæredes qui quasi suppetias laturus secundo expectat gradu, jure quo quisque censetur bona cum patris, tùm filii complectitur (a). At si hoc omisso, sedulò de alio labore-

(a) *L. sed si plures* 10. §. *ad substitutos. ff. de vulg.*

mus, firmiter Papiniano adhærendum, qui & si varia, diversaque ab authoribus induatur persona, purè tamen, & verè perceptus, nos ad veritatem perducet. Discimus ab eo, bona filii extra substitutionis causam esse, & paterna tantùm, fructusque inventos in hæreditate ad substitutum tendere, scilicèt militis privilegio (b). Cui fas in testamentis scribere (c),

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Nefas tamen iis, jus filii testari haud prohibiti (d), vel tantillum ire diminutum, antequam tamen veluti Ladas aliquis, aut cum equo suo Perseus prætervolem: quod verè vitis, verè doctis haud semel imposuit, libet breviter, sed accuratè videre. Quare hanc Centurio noster *si tis sine liberis* conditionem adscripserit; & an benè. Accersit forsitan eos fideicommisso saltem ad successionem? Putarunt nonnulli: sed falluntur. Nullo pacto, Auditores, Centurioni eos ad hæreditatem testamento vocare (e); sed (quod ingenuè fateor) iis tabulis jus ab intestato servare, animus fuit, & laudandus, siquidem hoc eodem nomine (cave quisquis ne aliud credas) prudens Lucii Titii consilium eruditissimo Scævolæ inter præclara, & providè perspecta (f). An vero benè? Poterit vel nimia militis imperitia, vel nimia verbositas objurgari quem aut latuerit se quoque silente censerit factum (g), aut si noverit quidem, exprimere: tamen animum suum maluerit, & in propatulo collocare: & meritò si de fidei commisso: miles verò rectè hic, ubi substitutio directa est: Sed an hoc verum (haud enim desunt, qui inficias eunt) è re nostra, & disputatione erit animadvertere.

Qui negant, hos omnes lapides movent, sancitum esse à Papiniano, & Pomponio post prætextæ positionem frustra secundas exarari tabulas, & exararas pubertate finiri (*), quod falsum, si aliter in milite: dictum ab Imperatore, veluti ex fideicommissi causa valere (h), scriptum à Papiniano, capi parentis dumtaxat bona, quod proprium fideicommissorum. Illud esse militis privilegium, ut substitutio alioquin omnino ruitura (ut in Pagano cernitur) fideicommissi fulcro sustineatur. Hæc argumenta, quæ illi putant firma, solida quæ evertere mihi tamen posse videor non magno nisu. Papinianum in prima acie cum ponunt, nimium cavillant, frustrà inquiunt post pubertatem fit substitutio fateor, sed à Pagano, & à quocumque, qui communi juri adstringatur. Ecce secundæ aciei robur Imperatorem; *velut ex fideicommisso valet*: pugnantne serio, an ludunt? videant ut protelem hoc telum; si fideicommisso similis hæc substitutio: ergo non ipsum: at bona dumtaxat patris capiuntur: O vanum acumen! id proprium militaris substitutionis esse quis non videt? Jam verò quod de privilegio adducunt, quàm non ratum! nonne omnino facilius ex pupillari directa in directam transibit militarem; quam tortuosis, inflexisque viis ad fideicommissum in vita traducetur? sed eorum tela quoniam satis evitavi, & quidem solo amictu, præbeant se paulò certiori ferro, nam pro contraria, veraque sententia pugnat Papinianus, qui directo factum ex militis privilegio valere; bona à substituto capi proponit (i). Pugnat Imperator fideicommissum non esse, scribens, sed veluti (k). Pugnat denique Summus Pontifex apertè satis, & validè, qui semper, dum potest, substitutionem directam accipi vult, & in Pagano post pubertatem fideicommissi quidem persona indui (l), contra quos in aciem prodire, nisi Telamonius Ajax, nemo audeat. Verum quando hic se obtulit occasio, absque fructu non ir, ex nonnullorum animo errorem extirpare, qui profectò altius, quàm par esset, radices immisit. Ajunt secundis tabulis à Pagano factis vim etiam post pubertatem inesse quasi ex fideicommisso supeditatam; in hos laqueos Scævola contrusit, dum factam à Pagano in codicillis directam substitutionem inflecti ad fideicommissum ait (m): Ulpianus quoque in causa; nam si quis hæredem rogaverit, ut alium sibi hæredem faciat, scribit videri rogasse, ut ei hæreditatem restitueret (n). Tertio præcipites eos Pontifex dedit, cui nefas non assentire; ille extra omnen ambigendi ansam purè ait valere, ut fideicommissum (o). Nec mirum si facilè iis imposuerint; bonis humeris erant. Nam Scævola quid mirum si ita censuerit? codicilli erant non testamentum, ubi scripta substitutio, in quibus nihil directè dari posse, vel modicè eruditis notum: Quid ergo? ad fideicommissum trahendum, idque benignitatis gratia, quæ nihil potest, cum de personæ minus idoneæ in testamento ima cera exarata loquimur. Jam verò Ulpianus de inutili fideicommisso disserit, ut ad utilitatem redigatur. At Pontifex! rectè ille quidem (ab-

(b) *Hæc l. Centurio* 15. *ff. de vulg. l. precibus, Cod. de imp. & al. substitution.*
(c) *Principio inst. de test. milit. l. 1. ff. eodem.*
(d) *L. A qua ætate, ff. qui test. fac.*
(e) *Arg. l. si quis, 8. ff. si quis omn. eau. test. l. fin. §. sin autem sub conditione, C. com. de leg. junctâ, l. primo, Cod. de pact. rursus, l. filius* 114. *§. cum, ff. de leg. 1. Item arg. l. ex facto* 17. *§. ex facto, ff. ad Trebellian.*
(f) *A L. Lucius, 85. & ibi Accurs. in fin. ff. de hæredib. instituendis.*
(g) *L. cum avus, 102. ff. de cond. & demonstr. L. generaliter, §. cum autem, C. de inst. & substit. L. cum acutissimi, Cod. de fideicom.*
(*) *L. verbis, 7. l. in pupillar. 14. ff. hoc tit.*
(h) *L. precib. C. de impub. & hac l. nostra Centurio, & dict. l. precibus.*
(i) *Hæc l. nostra Centurio.*
(k) *Dict. l. precibus.*
(l) *Cap. si pater, de testament. in 6. c. Rainuntius extra de test.*
(m) *L. Scævola, ff. ad Trebellian.*
(n) *L. ex facto* 17. *in princ. ff. ad Trebellian.*
(o) *Cap. Rainuntius extra de test.*

(absint impii, qui aliter mussitant) quippè testator, qui rescripto causam dedit, quoquomodo Alterocam succedere concupiverat; quamobrem haud ex Antæo hanc substitutionem progenitam arbitror; quæ vires acquirat, unde maximè opprimi debuerat. Neque enim J. C. more Ægyptio signis, figurisque sanè obscuris nos docuerunt; post pubertatem frustra secundas tabellas dictari; finiri pubertate; evanescere: Sed clarè omnino, nec blæsi profectò illi ore rotundo dixere, scripsere, jussere (p).

Sed revertamur ad Papinianum; quàm benè, quàm dilucidè hæc omnia, quæ diximus brevi illo circo conclusit? sed & illud (ne quid minutum relinquat) quod à filio abducere substitutus debeat: *Bona nempe patris cum fructibus inventis in hæreditate.* Profectò si patris hæreditatem! & una fructus ab eodem parente collectos, item pendentes, maturosque ejusdem mortis tempore, necnon hæreditate jacente perceptos, quippè hæc omnia hæreditatem augent, habebit (q). Quà propter cum nominatim de fructibus Papinianus constituit, nullos alios intellexit, quam eos, quos instituti hæredis hæredes legitimi ex bonis paternis, antequam substitutus ad eos admitti postularet, collegerunt. Nonnè id certum, siquidem li nullo profecto in re jure potirentur (r)? certum quidem; verum, licet jure directo substitutio valeat, cum tamen veluti ex causa fideicommissi substituto ea concedantur; cui non liberum suspicari eos fructus legitimorum hæredem lucro cedere, quippè qui in restitutionem non veniant; utpote fideicommissarii negligentia percepti (s). Qui aliter censent; ii verò (pax sit verbo) ligneis, non vitreis usi sunt oculis. Declinant hic ferè omnes, qui legum interpretandarum munus suscipiunt (abstineo à Gallis) à Papiniani curriculo, & longè se, in devia immittunt indagantes inter cætera, num jura sepulchrorum ad hunc nostrum substitutum spectent; mihi, qui sciam directam esse substitutionem, integrum non est dubitare; sed an in fideicommissarium transeant facit, ut sim anxius nescio quis (fraterculus certè Gigantum) dignus,

Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho.

Vitam omnem traducat; is absque ullo legum præsidio (nec erubuit) (t) nisi tanti suam credat opinionem, transire, sed & apud gravatum remanere dictavit; ego sanè id nunquam legi, imò contrarium; ecce Paulum, *Restituta hæreditate jura sepulchrorum apud hæredem remanent* (u). Imperator vero ea extraneis quidem hæredibus impartitur (x), sed hæredibus: qualis non est fideicommissarius (y). Hoc magè me vincit; ea hæredis esse, quia est hæres, quorum pluralitate non dividuntur, sed æqualiter omnium est usus (z). Non ergo possunt cadere in restitutionem, cum hæredis nomen nunquam verè deponatur (a). At successores qualescumque in eo scilicèt sepulchro possunt recondi! ex Ulpiano (b) sanè; sed se explicat Ulpianus, bonorum nimirum possessores, iique quibus bona addicta (c). Cur tardamus ergo, & de fideicommissario fateri? Ego dicam. Prætor quidem hæredem facere nequit (d), sed cum bonorum possessionem concedit, nullus alius hæres extat, & ille bonorum possessor pleno omninò jure hæredum fruitur; ergo & sepulchrorum. At fideicommissarius in multis hæredem repræsentat; non in omnibus; non in hoc certè sepulchrorum, quia ad hæredem spectat, hæres verò ex testamento existit.

His aliàs poteram, & plures subnectere causas.

Ut una cum Umbricio apud Juvenalem receptui canam: sed jam nobiles video retiarios, qui me rede capturiunt; cuspidem ergo sumam, ne me, cur eos fugiam, percontentur.

CAPUT PRIMUM.

De pupillaris substitutionis diffinitione, & divisione.

Difficile navigatu fretum hoc substitutionum, & decumanis fluctibus exagitatum, fabula pueris, qui ære nondum lavantur, decantata. Mihi, antequam vela explico, diffinitionem, & divisionem investigare lubet, sic Cicero, sic Aristoteles monent. An hic centurias, imò legiones diffinitionum exponam? apagè. Multi solent, ego abhorreo: sed & illud præmonitum volo. (Novi enim cornea nonnullorum præcordia, qui quod non oppositum, non visum censent.) Ut ii, qui corollam texunt, neglectis reliquis, mollio-

(p) *§. macula, inst. de pup. L. verbis 7. L. in pupillari* 14.
(q) *L. qui, ff. ad legem falcidiam, l. si fraudator* 25. *§. Proculus, ff. quia in fraudem cred. L. fructus pendentes, ff. de rei vend. L. ita tamen* 27. *§. 1. in fin. ff. ad Trebell.*
(r) *L. secunda* 2. *§. item veniunt, §. item non solum in fin. ff. ad Trebell.*
(s) *L. in fideicommissariam* 18. *ff. ad Trebellian.*
(t) *Auth. de Nup.*
(u) *L. jus sepulchri* 3. *C. de relig.*
(x) *L. quia perinde* 42. *§. 1. ad Treb.*
(y) *§. restituta, institut. de fideicom. hæred.*
(z) *L. fundus mihi* 31. *ff. famil. ercis. L. si sepulchrum Cod. de relig.*
(a) *L. qui hereditas, 44. §. cum hæreditas, ff. de condit. & demonstr.*
(b) *L. vel quod, 6. ff. de religios. & sumpt.*
(c) *L. ergo 4. §. si autem, ff. de fideicom. libert.*
(d) *§. nam prætor, institt. de bonorum possess.*

liores, & alacriores carpunt flores; sic me ex multis, quæ ab Authoribus dicuntur, quæque ipse legi elegantiora selegisse. At cur Authorum longam seriem non apposui? haud mihi libitum; qui hoc faciunt ex mustaceo laureolam quærunt: sed ad rem.

Substitutio est, *secundi hæredis appellatio*, sic nos docet Cajus (a), *Institutionem* si dicere velimus, Authorem Paulum habebimus (b). Nec reluctetur animus, quoniam effinxerit Modestinus institutionem speciem substitutioni contrariam (c). Hoc in usu apud Jurisconsultos; potissimum apud Modestinum. Adoptionem ait, in adoptionem dividi, & arrogationem (d); cognationem quoque, in cognationem, & agnationem (e): absit hic scrupulus fitmumque sit rectè dici *Institutionem*. Id usurpat Scævola (f); id Labeo (g); id ratiocinantur alii (h). Hæres in *secundi* verbo, nec dissimulas: secundus est cohæres (i), secundus hæres à milite ex tempore datus (k): nec tamen substitutus. Opple aures, haud ista admitto: est in milite privilegium, atque ea ex ipso substitutio; de cohærede vero negatum non ibo, secundum esse ordine scripturæ, & loco (l), sed minimè hæc attendimus; verum gradus (m): Vellis aurem, & insusurras datum exhæredato substitutum, haud secundum, sed primum hæredem esse: ergo nec substitutum: amove filii curam: sit paternum testamentum in mente; juxta illud secundum esse hæredem dabis (n). An ulteriore gradu vetitum? Minimè (o): Ut secundas, quascumque post primas, nuptias nuncupamus (p), sic hæredem; præcedentis dumtaxat, inquit Donellus, ratio habenda: & ut fores opponentibus obcludamus, de hæredis substitutione nos loqui certum sit; nec obstrepant posse in fideicommissis, & donationibus, & legatis fieri (q): nobis hæc nota, sed neglectui habemus.

De divisione quid alii senserint; nobis in propatulo; sed perinde ac si in latebris; eorum opiniones non producentur, ad scamma in hos Athletas haud descendo; pace, & quiete rem transigam, beneve scripserint, & senserint aliorum sit judicium. Ego ad gradus, personas, scripturam, rem redigo: sumo scripturam; quinque cernes substitutiones, vulgarem, *si hæres non erit* (r); pupillarem, *si ante pubertatem decesserit* (s); reciprocam, *invicem substituo* (t); militarem, vel compendio factam, *quandocumque decesserit* (u); Justinianeam, *si filius in furore decesserit* (x).

Personas vide: duas amputabis, & erunt dumtaxat vulgaris quæ cunctis; pupillaris quæ impuberibus liberis; Justinianea quæ furiosis fit.

Sed si successionis gradus reputemus, qui duo sunt; *si hæres non erit*. Alter, *si hæres erit, & ante pubertatem decesserit* (y), duas quoque tantummodo substitutiones, vulgarem scilicet, & pupillarem extare contendimus (z): & meritò, nec enim plures Cajus (a), quo nolim ego plus sapere.

Quid hæ differant, scire habes? vulgaris uniculque sui copiam facit (b); pupillaris parentibus, habe; tantùm, cum impuberibus liberis hæredem facere volunt (c). Illam duodecim tabulæ, hanc mores introduxere (d). Hujus meta, pubertas (e); illius, hæreditatis aditio (f). Illa nobis. Altera filio testamentum exaramus (g).

Fieri possunt hæ substitutiones, cum legitimis, tùm precariis verbis, hinc tradita occasio divisionis in directam, & obliquam, cui vulgo æclamatur. Divisiones, diffinitionemque habes; perge modo ad reliqua.

CAPUT II.

Substitutionem moribus introductam ipso jure ob patriam potestatem; filiis dumtaxat impuberibus fieri.

TEstamentum ex eo dicitur, quòd testatio mentis sit (a): *Est enim voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult* (b); desiderat igitur animi judicium (c), quod cum non sit impuberibus, non

(a) *Lib. 2. tit. 4.*
(b) *L. ex facto 43. §. Lucius, ff. de vul.*
(c) *L. 1. ff. hoc tit.*
(d) *L. 1. ff. de adop.*
(e) *L. non facile 4. ff. de grad.*
(f) *L. Gallus 29. in princip. ff. de lib. & posthum.*
(g) *L. mulier, 20. §. fin. ff. de cond. instit.*
(h) *Arg. legit si quis mihi 25. §. sed si mandavit, ff. de acquir. hæred. l. 1. ff. de hæred. inst. juncta l. 9. §. fin. ff. de lib. & posthum. L. si is qui 55. ff. de hæred. inst.*
(i) *L. si is qui 25. ff. de testibus.*
(k) *L. quærebatur 19. ff. de milit. testament.*
(l) *L. qui solvendo 6. ff. de hæred. instit.*
(m) *L. 1. hoc tit.*
(n) *L. penult. in princip. ff. contra tabul. L. 2. in princip. ff. hoc tit.*
(o) Ulpian. *tit 22. §. penult. l. 1. & l. potest. 36. hoc tit. inst. de vulg. in princip.*
(p) *L. si quis prioris, §. talem. Cod. de secund. nup.*
(q) *L. ut hæredibus 50. ff. de leg. 2. l. si sponsus, §. simili modo, ff. de donat. inter virum, l. is cui 10. ff. de donat. causa mort. l. si legata 6. Cod. de legat.*
(r) *L. 1. hoc tit.*
(s) *L. 2. ff. hoc tit.*
(t) *L. 4. §. 2. ff. eod.*
(u) *L. Centurio. 15. eod. l. precibus, Cod. de impub.*
(x) *L. humanitatis 9. eod. tit.*
(y) *D. l. precibus, d. l. 1. & 2.*
(z) *L. cum ex filio 39. §. filio, ff. hoc tit.*
(a) *Lib. 2. instit. tit. 4.*
(b) *Princ. instit. de vulg.*
(c) *L. 2. ff. hoc tit. princip. instit. de pup.*
(d) *L. verbis 120. ff. de verb. signif. d. leg. 2.*
(e) *§. masculo, inst. de pupil. l. verbis 7. l. in pupillari, ff. d. tit.*
(f) *Princ. inst. de vulg.*
(g) *Dict. princ. & §. literis.*
(a) *Inst. de test. in princip.*
(b) *L. 1. ff. qui testam. fac. poss.*
(c) *D. l. 2. ff. de inoff. test. l. is cui lege 18. l. qui testamento 20. §. ne furiosus, ff. de testib.*

non est is testari datum (d); an ergo intestati morientur? ita quidem si patre careant; sin minus, quoniam moribus Romanorum larum est, & inveteratum patres summo in filios imperio potiri (e), iis quoque effectum est, ut ipsimet parentes impuberibus condere queant testamentum (f); idque jure summo; an non possit hæredem filio dare, qui filium, & vendere, & occidere poterat, si libuerat (g)? Quamobrem rideo, qui privilegio factum dictitant; & nihil magis juris regulis, vel si mavelis, rigori consonans agnosco, idque à moribus in medium allatum (h); moribus? sume duodecim tabulas, perlege. *Pater familias uti legassit suæ rei, ita jus esto* (i). Filii res patris dicuntur (k), ergo ea verba, & substitutionem pupillarem complectuntur: preme adhuc, audi Romulum. *Paucntibus in liberos omne jus esto:* Hæc lex scripta est; hinc patria potestas, ex hac pupillaris substitutio, non ergo ex moribus; siste, nec te falsa hæc veritatis effigies delectet. Nam duodecim tabulæ laxant quidem habenas, & patri concedunt de suis rebus, & rerum suarum tutela pro libito statuere (l); ideò filio tutorem dat (m); sed hæredem non dat, quia res filii esset habiturus, de quibus duodecim tabulæ ne verbum quidem. Romulum verò tantùm indulsisse parentibus non ambigo, imò prima illa tempora si spectes, ajo lege Romanis patriam potestatem inductam; sed revoca in animum legem Tribuniciam, qua exactis Regibus cæteræ leges exoleverunt (n), igitur & illa de patria potestate. Quid ego? cœpit populus Romanus incerto magis jure, & consuetudine ali, quam per latam legem, & hac patria potestas retenta. Rectè igitur moribus inductam dixit Ulpianus, licet Decem-viri tractu temporis in duodecim tabulis hoc jus insculpserint. Absint qui moribus Lacedæmoniorum hoc tribuunt, à quibus petitum jus non scriptum testatur Justinianus (o); quasi vero Romani, & si jure non scripto uti à Lacedæmoniis didicerint, nequeant tamen plura moribus observare, quibus illi careant. Quid hinc? nimirum substitutionem moribus Romanorum editam ob patriam potestatem. Ergo liberis tantummodo facienda. Quidni? cum in eos dumtaxat imperium patriæ potestatis exercere possimus? obliquisque verbis & adultis, & non filiis fieri scio (p); sed nos de directa, quæ fortassè, si pupillares tabulas alterutrius testamentum esse volumus; nutabit. Si patris, cui permissum de alienis bonis testari (q)? si filii, qui ex alieno pendet arbitrio (r)? Sed firma est, nec vacillat; Pupillaris substitutio dicitur quidem interdum testamentum filii, re verâ idem ac parentis est (s); non ergo ex alieno penderet arbitrio. Patri vero lege datum, de impuberis filii, aliàs absque hærede decessuri bonis, quasi in subsidium disponere. Huic qui censor est, legem censet. An non daret ei, qui summam sibi in filium potestatem asserit, ob quam de ejus tutela disponit? haud potuit (inquient mores) lex (t), quippè contra bonos honestatem, publicam utilitatem sit; nonne substituti semper in subsessis erunt ad pupillum è medio tollendum? fiat in ima cera, obvolvatur lino, nec salvantur tabellæ, nisi posita prætexta; hoc Caji consilium (u); sed non usquequaque sufficiens, nam viventis pupilli hæreditas venditur (x). Nos vero, non

Obtura adeò gestamus pectora Pœni.

ut nesciamus hoc falsum: Pomponium cito (y), *si hæreditas venierit ejus qui vivit, aut nullus sit, nihil esse actî, quia in rerum natura non sit, quod venierit.* Sed & ipsius Ulpiani verba ventilo: *Planè si hoc actum sit, dicendum erit etiam impuberis hæreditatem in venditionem venire: maximè si jam delata impuberis hæreditas est.* Nullo igitur in periculo pupillus, delata jam hæreditate. Timemus nobis ab illo verbo, *maximè*? injuria: nihil profectò tam nostrum, hoc enim loci vel ex elegantia additum, ut Accursius (z) vult, vel hæreditatem delatam esse necessum ostendit; haud à Jurisconsultis alienum accipe Justiniani exemplum. *Sancimus, & in hujusmodi casu consulissimi Principis locum habere constitutionem, & cum modis omnibus admittendum esse censemus, maximè cum ex voluntate creditorum hæc interponitur. Nolentibus enim creditoribus admitti talem pactionem nullo modo concedimus* (*). Hæc vera sunt; qui obsistunt, meras nugas blatiunt.

CA-

(d) *§. præterea testament. inst. quib. non est permissum, lege qui ætate 5. ff. de testibus.*
(e) *L. patre furioso 8. ff. de iis qui sunt sui, &c.*
(f) *L. moribus, 2. ff. hoc tit. princip. instit. de pupill.*
(g) *L. fin. Cod. de patr. pot. l. in tuis, ff. de lib. & posthum. 12. tabul. & l. Romuli.*
(h) *Inst. de pupil.*
(i) *L. verbis legis 120. ff. de verb. signif.*
(k) *L. 1. §. per hanc. ff. de rei vendicat.*
(l) *L. sæpe ita sibi super pecunia, ff. de verb. signif.*
(m) *L. 1. ff. de test. tut.*
(n) *L. ei, §. exactis inde legib. ff. de orig. jur.*
(o) *§. & non inelegánter instit. de jur. nat.*
(p) *L. ex facto 27. in princ. ff. ad Treb.*
(q) *L. contra l. conficiuntur, §. 1. ff. de jur. condit. auth. ingressi, Cod. de sacrosanct. eccles.*
(r) *L. illa institutio, ff. de hæred. instit. l. 1 ff. de test.*
(s) *L. 2. §. prius, ff. hoc tit. l. in ratione, §. si filio, ff. ad l. falcid. §. igitur, inst. de pupill.*
(t) *Cap. erit autem lex, dist. 4.*
(u) *§. sin autem quis sita formidolosus, instit. de pupil.* Cajus *lib. 2. instit. cap. 4. §. pupillaris.*
(x) *L. 2. §. illud, ff. de hæreditat. vel act. vend.*
(y) *L. 1. ff. de hæred. vel act. vend.*
(z) *D. l. 2. §. illud potest, ver. maxime.*
(*) *L. fin. §. autem et 1. Cod. de test. manumis.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT III.

Finiri pubertate hanc substitutionem incæpto ultimo decimiquarti anni die, nec ultra valere, nec fideicommissi quidem jure.

DE origine ista: quid de termino, & meta? certè eadem, ac tempori quo clauditur puberras: moribus institutum esse, ut cum ejus ætatis filii sint, in qua sibi testamentum facere non possunt, parentes ei faciant (a), supra disertum. Facultatem testandi pubertas affert (b): auferet eadem parentibus pupillariter substituendi (c); hæc in brevi duodecim annorum si fœmina, quatuordecim si mas, circulo clauditur (d); hæc septa non transiliti; immò & postremum diem cum tetigerit, liberum habet, & iis testari datum (e); igitur & eo die solvitur substitutio una cum substituendi causa. Morosi nimium, imò & imperiti, qui Imperatorum, dum decimumquartum annum *excessisse* requirit, nesciunt disputationi nostræ accomodare *excessisse* dixit (f); tu tetigisse intellige: idem in *Diocletiano face* (g); quem natura incœpit diem, hominis intellectus in hac arte completum interpretatur (h). Pubertate itaque, hoc est, simul ac ultimus decimiquarti anni dies ingruat, finitur, evanescit (i). Quid si in longius tempus testamentum filii pater produxerit? An saltem jure fideicommissi efficax erit? Utrinque acriter pugnatur; ego pro iis, qui inficiatum eunt, mucronem stringo, & ajo substitutionem, quæ longius tempus complectitur valere usque ad decimumquartum annum (ut qui sciam utile haud infici vitio per inutile) (k) post id vero tempus haberi, ac si omnino facta non esset. Ad partes voco Papinianum: *Verbis civilibus substitutionem post decimumquartum annum ætatis frustra fieri convenit* (l); Pomponium: *In Pupillari substitutione, licet longius tempus comprehensum fuerit, tamen finietur substitutio pubertate* (m); Justinianum: *Masculo igitur usque ad quatuordecim annos substitui potest, fœminæ usque ad duodecim annos, & si hoc tempus excesserint, substitutio evanescit* (n). Nec evaneseret, finiretur, frustravè fieret, si lapso eo tempore, veluti fideicommissum staret adhuc. Contemplor patria potestate nullam ob aliam causam id sibi parentes vendicare, nisi pupillorum favore, qui sibi hæredem scribere nequeunt (o), cur eos proprio gladio jugulamus (p)? cur (quod nemini licet) (q) filiorum jus imminui ultra legem parentibus damus. Addo, & hanc appendiculam; duo contraria in eodem (ut inquiunt) subjecto, nec philosophus ullus, nec jurisperitus votis unquam fuit jungere (r); ergo nec in una substitutione jus directum, & obliquum, qui sunt diversi, & contrarii ad hæreditatem tramites (s); quo duplici jure, eoque discrepante valere eam nunquam flectar, ut existimem (t), quippe verba fideicommissi desiderem, sine quibus haud dabo reperiti fideicommissum (u). In testatoris voto id non fuisse autumo, qui directum hæredem facere est arbitratus (x), & onere hæredem levare malo, quam premere (y). Verba captas, inquiunt, voluntatem negligis (z); scis optasse testatorem extincto impubere omnia bona substituto cedere (a); negabis eumdem voluisse, pubertate incœpta saltem suis propriis substitutum potiri? Quid ni negem, si desunt conjecturæ (b)? nec patiatur ambiguitas, cum substitutio pupilli sit favor (c), fideicommissum vero gravamen (d); suffragii calculum in eum ferri (e)? Nec me ex secura hac statione dejicient libertatis exempla à Juliano, Ulpianoque mutuata. Ait ille: *Et ideò licet directæ libertates deficiunt, attamen ad fideicommissarias eundum est* (f). Quid hinc? nempe cum desiderio tenemur emittendi servum, cui directa libertas dari nequit, dandam (quod possumus) (g) obliquam. Si quid hoc nos pungit, oculum mihi, ut cum Comico dicam; excludito: patiar; alter vero nostris subjicit oculis duplicem speciem, in qua libertas directò data ad fideicommissariam devolvitur. Ait: *Quamvis si sponte adisset, cogeretur præstare fideicommissariam*

(a) *Princip. inst. de pupil. vers. non moritur.*
(b) *L. quia ætate, ff. de testib.*
(c) *§. masculus instit. de pupill.*
(d) *L. ultima, Cod. quando tut. vel cur. esse de sin. prine. inst. quibus modis tut. finiat.*
(e) *L. qua ætate l. adigere, 8. §. quamvis, ff. de jure patr. l. liberorum 11. §. 1. ff. de bit, qui notat. inf.*
(f) *D. §. masculo.*
(g) *L. si frater 4. C. qui test.*
(h) *L. si ususcap. ff. de usucap. l. Anniculus, de verb. sign.*
(i) *L. verbis 7. l. in pupill. 14. ff. de vulg. §. penult. inst. de pupil.*
(k) *L. 1. §. penul. ff. de verb. obligat. l. usurat 20. l. placuit 29. ff. de usuris.*
(l) *Dict. l. verbis.*
(m) *Dict. l. in pupillari.*
(n) *Dict. §. masculo.*
(o) *Princip. instit. de pupill.*
(p) *L. 1. quod favore, Cod. de leg.*
(q) *L. cum filius 29. ff. de milit. test.*
(r) *L. 1. Cod. de furt.*
(s) *L. fin. Cod. de codicill.*
(t) *Argumento legis cum qui 23. ff. de usucap.*
(u) *Ulp. in fragm. tit. 25. l. quidem cum filio, ff. de hæred. instit.*
(x) *L. 1. ff. jur. codic. l. illud, §. tractari, d. tit. l. cohæredi, §. cum filio, vers. qui ita locum habent, ff. hoc tit. l. fin. §. illud, C. de codic.*
(y) *Juxta l. Titia 34. §. in vita, l. unum ex familia 67. §. si rem, ff. de leg. 2.*
(z) *Contra l. 3. Cod. commun. de leg. l. pater Severinam 102. l. in conditionibus, ff. de cond. & demonstr. l. 3. Cod. de lib. præter, l. 62. ff. de leg. 2.*
(a) *L. sed si plures 10. §. ad substitutos, hoc tit.*
(b) *L. quidam cum filio, ff. de hæred. instit.*
(c) *L. pupillus 18. ff. de acquir. hæred.*
(d) *L. coheredibus 39. §. cum filiæ, ff. de vulg.*
(e) *Juxta l. si quod favorem, Cod. de legibus.*
(f) *L. si ei qui 2. §. codicil. de jur. codicil.*
(g) *L. libertas 26. ff. de fidei. libert.*

riam libertatem (h). Libro autem quinto fideicommissorum subdit: *Si quis servo pignorato directam libertatem dederit, licet videatur jure subtili inutiliter reliquisse: attamen quasi ex fideicommissaria libertate relicta servus petere potest, ut ex fideicommisso liber fiat* (i). Sed ne diù in errore vos detineam, libet & verba referre ibidem ab eodem Ulpiano subscripta: *Favor enim libertatis suadet*, & infrà: *Nec enim ignotum est, quod multa contra juris rigorem pro libertate sint constituta.* Non idem favor in substitutionibus: adde quod superiori casu necesse id fuit, ut voluntas in restituenda hæreditate testatoris adimpleretur: servo restitui nequit, nec capax ibi directæ libertatis servus: ergo in fideicommissaria refugium. Nec obest, quod nos arctius mordere videar, ex Scævolæ sententia pupillarem directò famam in codicillis ad obliquam perduci (k). Sano enim cuique cognitum, benigna interpretatione receptum, ut quidquid directo in codicillis relinquitur, precariò relictum esse videatur. Haud licet hoc ad substitutionem testamento ei personæ, cui non potuit, factam transferre; in eo, quod directò scriptum est, aud aliquatur. Nec si potuit testator angustiores substitutioni assignare limites, & cancellos (l), idem & latiores, laxioresque; substitutionem, vel omnino omittere, in ejus arbitrio: longius autem tempus assignare, id vero nefas; & si hodie Pontificum indulgentia contendunt nonnulli laxatum in testamento Rainuntii, in quo Alterocham, ejusque sobolem adjectæ substituit (m). Verum nunquam, quod viderim exprimitur, ibi directò factam esse substitutionem, sed verbo demtakat communi succedendi, quod quid inirum, si ut obliquum accipiatur? Nec titubet quis, si videat innocentium Summum Pontificem directam substitutionem ad fideicommissariam non nunquam trahentem (n); nam non crebrò, neque ex more, usque; Glossa (o) annuit cum exemplo directæ militaris, in qua tamen fallitur, & directæ in codicillis factæ uritur. Secus qui putant, lapidem mordent. Ego aliud saxum volvam.

CAPUT IV.

Nullis posse fieri, qui in potestate non sint; retasuris verò in alienam, neque à milite quidem fieri.

NOstro Imperio subjiciunt liberos justæ nuptiæ (a), & adoptio (b); iis ergo pupillares tabulas exarare nostri juris est (c); nam ex patria potestate est hæc facultas. Quamquam haud desint nugi polyloquides, qui se legisse clamitant; matrem & pupillariter filiis substituere (d); & tutorem, iis substitutis dare (e); quod nisi ii, qui jus patriæ potestatis habent, non possunt (f). Cui tamen ignotum hujus potestatis matrem expertem? Ipsemet pater posthumo hæredem scribit (g). Posthumus vero huic potestatis jugo colla haud unquam submittit: prius Lachesis parentis stamen incidit, quam matris ventrem Lucina, in quo, dum transigit, matris est portio (h). Prætet voces hic, nihil commodum posthumi est hæredem habere. & eum igitur natum leges ducunt (i); deduc & in patris potestate: redi modo ad matrem: tutorem illa dat institutis, sed adde hunc Præsidum confirmatione egere: negario quædam, quæ Imperatoris rescripto adest, magna est, inquies, remora: vide Cujacium, vide emendatos Codices: spongia debilis; lingua deberet, qui appinxit. De sententia autem Africani, sic habe, loqui eum de vulgari, non autem pupillari substitutione. Aut pupillarium tabularum mentio? Non quidem nos destinet; habet ea effigiem pupillaris, quippè filius non instituitur nisi post decimumquartum annum: At verè pupillaris non est; patria ergo potestas necessaria. Non obstat exhæredatis in secundum casum substitui (k), quos hac ex potestate depulsos, emancipatosvè videri testatur Ulpianus (l). Recte videri; nam & si mortuus quoad successionem censeatur exhæredatus, non tamen quoad patriam potestatem, licet emancipato adsimilerur, cum in eum danda actio est de eo, quod ante exhæredationem gessit. Victo hoc prælio, vide quam latè diffundatur præda: Extraneis dari hæredem veritum esse (m). An & naturalibus? ii qui-

(h) *L. Cogi 16. §. sed si servo, ff. ad Trebellian.*
(i) *L. generaliter 24. §. si quis servo, ff. de fideicom. libert.*
(k) *L. Scævola, ff. ad Trebellian.*
(l) *L. si ita quis 21. ff. hoc tit.*
(m) *Cap. Raymundus, extra de test.*
(n) *Cap. 1. de test.*
(o) *Dict. cap.*
(a) *Princip. inst. de patr. potestat. §. penult. instit. de nup. l. ita in potestate, 9. l. seq. ff. de iis qui sunt sui, &c. l. Paulus, ff. de stat. hom.*
(b) *Dict. l. 1. & 3. 4. ff. de adopt. l. 1. C. eod. princ. inst. eod.*
(c) *L. 2. l. sed si plures 10. §. in arrogato, ff. hoc tit.*
(d) *L. si mater 53. ff. hoc tit.*
(e) *L. 1. Cod. de test. tut.*
(f) *§. permittum. inst. de tutel.*
(g) *L. 29 ff. hoc tit. §. 4. inst. de pup.*
(h) *L. 1. §. ex hoc rescripto, ff. de vent. insp.*
(i) *L. qui in utero 7. ff. de stat. hom. l. intelligendus, ff. de verb. signif.*
(k) *§. non solum instit. de pupill. l. 1. §. fin. l. si is, qui ex bonis 6. L. sed si plures 10. §. ad substitutos, ff. hoc tit.*
(l) *L. 1. §. sed si patruus eorum, l. 2. ff. quod cum eo.*
(m) *§. ult. inst. de pupil.*

quidem in patria potestate non sunt (n). Sed tamen Paulus secundas ipsis tabulas posse à parente conscribi asseverat (o). Fabulæ, nihil unquam tale Paulus, nec vel reperies (p), vel tanquam à scioli cujuspiam infausta, & infesta manu suppositum expungendum. Ergo nec ipsis hæres à patre; nec emancipatis profectò; nisi à milite obstrepunt (q)? inepta susurratio; at Triphoninus pedem firmat: si quidem de militari loquamur; quid? exhæredatum filium proponit: nil tale: sepone verbum, *exhæredato*, & superiori adscribe orationi, scripturam sic confices rectam, & sententiam; sequere. Nec nepotibus in alienam potestatem recasuris: cur, inquies, cum impubes, & in potestate sit? quia alia causa ipsi non testandi, quam impubertas; nempe filium familias esse (r). At pater, quem natura dedit, pupillo in adrogationem dato substituit, eoque longè à pubertate mortuo substituta admittitur (s); cum tamen pupilli paternum dominium adrogator sibi jure adscribat. Quidni substituat, & utiliter? pubertas, & adrogatoris fides id faciunt: illa quia tardius morte: hæc quia morte pubertatem prævertente adrogati bona se iis restituturum cave, ad quos nulla facta adrogatione pervenissent (t). Sed minora hæc, & tenuioris fili: illud difficile, quo scilicet tempore filii in potestate esse debeant: paternæ mortis dumtaxat maximè probabile; siquidem testamentum ab eo tempore incipit, ante enim filio haud permissum testamentum habere; sed & expendamus Ulpianum: *Si extraneum quis impuberem hæredem scripserit, poterit ei substituere, si modo eum in locum nepotis adoptaverit, vel adrogaverit, filio præcedente* (u). Sufficit post factam substitutionem adrogati extraneum; ergo tempore facti testamenti, num in potestate fuerit, haud curandum. Papinianum quoque examinemus: *Cum filiæ, vel nepoti, qui locum filii tenuit, vel post testamentum cœpit tenere* (x). Post testamentum? quid igitur tempore testamenti potestatem morosi requirimus? Hac in navi transfretare Bartolus cupit, sed contra torrentem brachia dirigit: Audi: *Si quis ex mortis quoque tempore non fuit in familia, substitutio pupillaris fit irrita* (y). Dicimus, quoque, & aliud igitur tempus: quale profectò nisi testamenti facti? *Id duobus temporibus inspicitur, testamenti facti* (inquit Florentinus) (z) *ut constiterit institutio, & mortis, testatoris, ut effectum habeat*: Papinianus autem alio eum impellet, ac ire putat. Nepos enim, de quo Jurisconsultus, semper in potestate fuit, & si non semper patris locum tenuerit. Nec ab Ulpiano secundus flatus, qui haud contendit ante adrogationem datum hæredem; sed adrogatione secuta. Nemo ex intervallo substituere prohibetur (1), debuit sanè Bartolus Ulpianum ex jure interpretari (2), eamque accipere explicationem, quæ vitio careret (3). Contempsit; ad arenas allidit; at qui habet filius patre vivo testamentum? sanè non habeat, ut tamen eo mortuo habeat, dum pater illud exarat, filius in potestate sit necesse est. Quare consilium, ut gladiatores, in arena capiamus, & destituto Bartolo, portum petamus, nam

Furor est post omnia perdere naulum.

CAPUT V.

Patrem necesse habere nominatim instituto, vel exhæredato filio, justum, & solemne sibi condere testamentum.

INtat modo discrimen haud parvum inter caligatos homines, ac togatos: Plura his imminent; illis pauciora. Quid hæc? Togatus haud filio dabit successorem, si sibi prius justo, solemnive testamento non signaverit (a): filii testamentum dicitur, paterni testamenti appendix, sequela, pars, secundæ tabulæ (b). Qui ergo extent, ni præcat, quod primas tenet? Caret his molestiis caligatus; filio hæredem scribit, tamen si sibi non scribat (c). Datum hoc ensi, & ferro, datum imperitiæ (d). At noster Paganus mirum quas in angustias trudatur. Ni testamentum effectu comprobatum; ni prius hæredem sibi scribat, ni filium nominatim instituat, vel ut oportet exhæredet; aquam ingerit in cribro (e). Sunt qui laxiores ei vinculorum compagines indulgeant; remittunt expressam institutionem tacita contenti, securi Ulpiani, & Scævolæ suffragio; quibus hæc verba: *Si filius heres non erit*, satis superque sunt (f). Exhæredationem pellunt, ut qui exhæredato substitutionem fieri pos-

(n) §. *penult. inst. de nup.*
(o) *L. Lucius* 95. §. *aliter ff. hoc tit.*
(p) *L. 2. hoc tit.*
(q) *L. miles* 11 a 91. §. *penult. ff. de milit. test.*
(r) *Princip. inst. quibus non est permissum fac. test. L. qui in potestate* 8. *ff. eod. l. penult. C. eod.* §. *primo, inst. per quas person. &c.*
(s) *L. causa* 90. *hoc tit.*
(t) *L. non aliter, ff. de adopt.* §. *cum autem, instit. eod.*
(u) *L. 2.* §. *sed si extraneum, ff. hoc tit.*
(x) *L. cohered.* 41. §. *cum filiæ, hoc tit.*
(y) *L. cohered.* 41. *dict.* §. *cum filiæ.*
(z) *L. si alienum* 49. *ff. de hæred. inst.*
(1) *L. si quis eum*, §. *ult. ff. de vulg.*
(2) *L. 6. ff. de solut.*
(3) *L. in ambigua, ff. de legib.*
(a) *L. 2.* §. *quisquis, ff. hoc tit.*
(b) §. *liberis, inst. de pup. l. sed si plures* 10. §. *ex aste, ff. hoc tit.*
(c) *L. 2.* §. *quisquis, ff. hoc tit. l. in fraudem* 15. §. *penult. l. Miles* 41. §. *fin. ff. eod.*
(d) *Princip. inst. de milit. test. l. 1. ff. eod.*
(e) *Dict. l.* 2. §. *quisquis*, §. *prius autem*, §. *sed si in princ. ff. hoc tit.*
(f) *L. ex facto* 19. *l. si quis ita hæred.* 82. *ff. de hæred. l.* 3. §. *si libertus, ff. debonis liberi. l. Gallus in princ. ff. de liberis, & posth.*

posse non probent; ea est secunda institutio (g): ergo instituto tantùm facienda: surdo fabulam narrant: nonne rectè secunda institutio dicetur, si aliter prius fuerit institutus? Exhæredandus igitur filius. Alioquin si oblivioni manderur, intestatus decedet parens; obtritaque manebit substitutio more animæ, ut inquit Satyricus (h). At de institutione errant, si calculos illorum Jurisconsultorum habere putant; ex conditione haud unquam surgit institutio. Ergo ad has juris aras libasse saltem, monstremus, ad quas cum libassent ii Jurisconsulti, institutionem ritè factam censuisse eos, nostrum est existimare; vel in fossam decidere. Hæc nunquam à Pagano amovenda; sed & strictiores imminent angustiæ, infunde in animum hæc Jurisconsulti: *Prius autem sibi quis debet hæredem scribere, deinde filio substituere, & non convertere ordinem scripturæ. Ceterum si ante filio, deinde sibi testamentum faciat, non valere* (i). Video quid hæreas: nempe ea verba ejusdem Jurisconsulti ruminas; quibus sibimet clavum injicit, & oblitus superioris sententiæ ait probari, licet conversâ scriptura filio prius testamentum fecerit (k). Hic tempora digito scalpenda, risendi ungues, cædendus pluteus, & meritò. Non constat sibi Ulpianus? difficiliores se præbent Authores in eo vel excusando, vel explicando. Inquit Ulpianus eam sententiam rescripto Imperatoris ad Luppum Britannii Præsidem *comprobatam, improbatam* legit Goveanus opinionibus cunctorum ad rubram lineam examinatis (l): Utinam tam verè, quam idoneè. Sed Accursius converti ordinem, si exhæredato substituatur, ait haud oportere; ut & nihil referre, si instituto. Desiderant hic universi rationem, & suppetias fert Donellus (m); quia nempe ipsamet pupillaris clausula, quum instituto fit, institutum esse demonstrat: adhæret Cujacius (n). Sub alioquoque Accursii vexillo doctissimus, cui

Et meliore luto finxit præcordia Titan

Joannes de Solorzano militatur, sentitque ordinem spectari, quum diversis, separatisque clausulis sibi, filiove hæredem scribat, si vero uno orationis filio ambobus testamentum faciat, posthabendum, velut in conjunctis (o). Quid Duarenus? pete à Pichardo (p); dicet, dogma firmum, & stabile esse, prius sibi, deinde filio faciendum esse testamentum; sed & exceptionem adjunget. Exceptio ea est, si eodem tempore, iisdemque tabulis testamentum utrumque fiat. Cui plaudam, quæris? dicere non libet, quia non liquet.

Quid frustra de his, quid inanibus obstrepitis? Clamatur à tergo: quasi verò illud requireretur à parente sibi testamentum fieri: quis nescit parla esse nullum fieri testamentum, vel rumpi, irritumve declarari (q)? Et tamen scimus, vel non additione, vel filii præteritione, vel bonorum possessionis petitione infirmato testamento, virescere adhuc secundas tabulas, & manere inconcussas, inassilitasque. Haud dictis fides? Excipite auribus Ulpianum: *Plane si omissa causa principalis testamenti, abintestato possideatur hæreditas, dicendum est & pupillo substitutum servandum* (r). Sed & Africano indulgete: *Etiam si contra patris tabulas bonorum possessio petita sit, substitutio tamen pupillaris valet* (s). Actum de nobis, si nos quidem latitaret, à Prætore, cum quis omissi testamenti causa ab intestato hæreditatem possidet, testatoris voluntatem defendi, ac si hæreditas esset adita (t); ergo & imam ceram servari: sicque ignoremus contra tabulas possessione concessa, vel haud immutari quæ liberis data sunt: inter quæ & secundæ tabulæ (u); vel non infirmari testamentum, quod non possit Prætor, à quo possessiones, ut nec hæredem facere (x). Nec obstat quod Imperator alibi ait, æquè ad intestati causam redire eum, contra cujus tabulas petita est bonorum possessio, ac si querela fregerit testamentum (y), quo casu omnino vires amittit suas, & rumpitur (z). Non obstat inquam, quoniam Imperator impropriè loquitur. Nec ideò accusandus: idem alibi factum (*). His clypeis haud opis hodie, nam Justinianus hæreditate quantumvis non adita, nullove, prætertionis causa, hærede existente, cuncta tamen salva esse admonuit (**)? Quæ igitur opponentur fatua omnino, & æs Didoneum.

CAPUT VI.

Compendio factam à Milite post pubertatem jure directæ militaris valere.

PLacuit Romanis legum-latoribus Milites ob egregiam, quam Reipublicæ navant operam, atque ob juris imperitiam, quæ ab armis vix sejungitur, unà cum stipendiis, pri-

(g) *L. ex facto* 43. §. *Luciùs, ff. hoc tit.*
(h) *Princip. instit. de exhæred. lib. l. inter* 30. *ff. de lib. & posth.*
(i) *L. 2.* §. *prius, ff. hoc tit.*
(k) *Dict. l. 2.* §. *sed si quis ita.*
(l) *Libr. 1. var. cap. 8.*
(m) *Lib. 6. Comment. cap. 25. verb. solemne in fin.*
(n) *In dict. l. 2. dict.* §. *prius.*
(o) *L. quidam cum testamentum, ff. de pup.*
(p) *In* §. *liberis, n. 15. instit. de pup.*
(q) §. 1. *inst. de hæredib. qui ab intest. l. 1. ff. de suit, & l. hæred. l. si nemo rubit. 142. ff. de reg. jur. l. si nemo 9. ff. de test. tut.*
(r) *L. 2.* §. *plane, ff. hoc tit.*
(s) *L. ex duobus* 34. §. *fin. ff. hoc tit.*
(t) *L. 1. ff. ti quis om. caus. test.*
(u) *L. 1. ff. de leg. prætand.*
(x) §. *quæ autem, testi. de bonorum.*
(y) *L. ut liberis* 17. *Cod. de collat.*
(z) *L. Papinianus* 8. §. *fin. ff. de inof. test.*
(*) *L. 1. Cod. unde liber.*
(**) *Authent. ex causa, Cod. de lib. præter.*

vilegium quoque liberius testandi dum in castris agunt, promerere (a); Hinc interpretum legiones seditio incedit; nullis novis causis, nisi quod testatus Centurio filio impuberi compendio sermonis substituit, & quo jure post pubertatem valeret, licentiam disserendi ostendit. Fideicommissi volunt Cujacius (b), & Goveanus (c). Currunt ad arma cæteri, obstrepit vulgus, directò jure sustineri diversis incitamentis: dictum à Papiniano (d), capi à substituto fructus in hæreditate inventos; dictum capi & bona patris; non ergo de fideicommissaria restitutione loqui (e), in qua nec hi fructus veniunt, nec capit hæres hæreditatem, sed ut ei restituatur expectat (f). Verum & illud scriptum, directò factam esse substitutionem, & privilegio militari sustineri (g). Quare post pubertatem, si potuit substituere directò, & substituit, directò (h) non valituram? Præsertim cum ad fideicommissum trahi nequeat, quin ad jus commune invito mehercule Papiniano. Mox Imperatorem, Pontificemque adtestantur, quorum ille ait, veluti ex causa fideicommissi valere (i), ergo non ex fideicommisso; non est idem quod est simile. Alter vero cum verbis congruat, accipi semper directam substitutionem debere (k); sed & à Pagano factam post pubertatem, fideicommissum censeri (l). At à milite? Quis dubitet esse directam? His hujus partis incenduntur animi. At Cujacius è contra, & Goveanus, quorsum Papinianum dixisse Patris dumtaxat bona capienda, fructusque in hæreditate inventos (m), si in directam venire dubitari haud fas, illudque sit fideicommissi proptium (n), cum directus substitutus filii quoque bona sibi vindicet (o), nisi ut fideicommissariam esse noscamus? Post pubertatem directò substitui frustrà (p), frustrà dictum, si cum effectu à milite fiat. Non probaturum Imperatorem, si directa, à matre hæreditatem obtineri, hoc est, jure teneri; bona ex ea peti, quod fideicommissarius facit (q); ex causa fideicommissi valere; & tamen scribi ab eo factam à milite substitutionem, veluti ex causa fideicommissi valere, substitutumque bona patris à matre petere hæreditatem obtinente (r): ergo de fideicommissaria. Qui, si potest jure communi valere invidiam velit sibi suo privilegio miles concilliare (s)? imò nec si velit, possit; cui privilegium ita concessum, ut jus alterius haud lædat (t), & læderet profectò, nam Civi Romano testamenti factionem adimeret. Sit igitur hæc ejus privilegii vis, ut quæ alioquin excideret, & collaberetur substitutio, fideicommissi fulcro sustineatur. Verum hæc si in trutina librentur, cœlum continuo petant, levia omnia, & tenui glacie fragiliora, quibus prudens non insistat. Datum militibus, ut compendio sermonis substituant, & directæ vim ea substitutio habeat. Sed & in ea hoc proprium, ne alterius jus invaderet, patris tantum, non autem filii bona complecti, cum iis fructibus, quorum controversia facilè potuit excitari, nempe quos legitimi hæredes instituti collegerunt, idque ex causa quasi fideicommissi, ut Diocletianus ait, non porro ex fideicommisso. Vis fideicommissi, hujusque substitutionis videre similitudinem? inspice res; eædem sunt in ambobus: mox temporis in ambobus post tempus restituuntur, deinde personas; mater petitione hæreditatis renetur. Jure itaque filii hæreditatem, ut Diocletianus ait, obtinet, & ab ea substitutus mariti bona petit; jus sibi nulli fas dicere (u), ergo nec violenta manu substituto bona patris, quæ mater occupaverat, arripere; sed vindicet, suaque esse vocitet; Potest; audietur. Levis igitur, ac prorsus inanis causa Cujacio ab aliis discrepandi, à quo, bonum factum, si cæteri desciscant, aut hoc fœdere paciscantur, ut fasces, & arma submittant, & hanc Centurionis substitutionem directam esse ultro concedant.

CAPUT VII.

In hanc Centurionis substitutionem fructus eos venire, quos filii legitimi hæredes collegerunt.

AT quid de fructibus? & hic tricæ: sunt unicuique sua judicia; sed multi semitam ingrediuntur, cum maximè censent viam.

Res

(a) *L.* 1. *l. testamenta, ff. de milit. test. l.* 1. *l.* 3. *Cod. eod. l. ult. in princ. ff. de jur. liber. l. hæreditas* 34. *l. ex facto* 35. *ff. de hæred. instit. l. miles ita* 41. *ff. de milit. test. §. miles int. eod.*

(b) *In l. Centurio* 15. *ff. hoc tit. in eadem l. ad lib.* 8. *Resp. Pap. & 12. Obser.* 25.

(c) *In d. l. Centurio, & lib.* 1. *variarum, cap.* 2.

(d) *Dict. l. Centurio, ibi*: cum fructibus inventis in hæreditate, *& ibi jure* communi *capiet.*

(e) *L. in fideicommissariam* 18. *ff. ad Trebell.*

(f) *L. cum hæredes* 13. *ff. de acq. pos. l.* 13. *& 151. ff. de reg. jur.* Alciat. *in l. aliud est capere, ff. de ver. sign. §. restituta, instit. de fid. hæred.*

(g) *D. l. Centurio*, ibi Directo substituit, *& ibi* ex privilegio militum.

(h) *L. ejus* 34. *l. militibus* 2. *l. milites ita hæredem, ff. de milit. test. l. quinque, Cod. eod.*

(i) *L. precibus* 8. *Cod. de impub.*

(k) *Cap. si pater, de testam. in* 6.

(l) *Cap. Rainuntius extra de test.*

(m) *D. l. Centurio, ibi patris dumtaxat.*

(n) *L. cohæredi, §. quod si hæredem, ff. hoc tit.*

(o) *L. sed si plures* 10. *§. filio, ff. cod.*

(p) *L. verbis* 7. *ff. eod.*

(q) *L. mulier* 21. *§. non est, ad Trebellian.*

(r) *Dict. l. precibus, ibi* à te peti *& ibi* veluti ex causa fideicommissi *& ibi* te ejus successionem obtinente.

(s) *L. quamquam, l. in princip. Cod. de milit.*

(t) *L.* 2. *§. merito, & §. si quis à Principe, l. ex facto* 43. *in princip. hoc tit. l. cum filius* 28. *ff. de milit. test.*

(u) *L. extat* 13. *ff. de eo quod met. caus. l. si quis* 7. *Cod. unde vi.*

Res omnis petenda ex iis Papiniani verbis: *Cum fructibus inventis in hæreditate*; quæ quidem facilè nobis imponant, & non sentientes ad fideicommissum deducant. Præcavendum igitur, & fax præmittenda, quæ has tenebras depellat.

Fructus in fideicommissariam restitutionem veniunt, quia augent hæreditatem, ut à testatore percepti (a), vel eo languente maturi (b), vel ante aditam hæreditatem collecti (c). Alii ut veniant partim jus facit, ad fideicommissum si forte minutum, supplendum (d). Partim; ipse testator, si nominatim, ut fructus restituat, ab hærede desideret (e). Nominatim? quid, si quicquid ex bonis supererit, vel quantacumque pecunia ex hæreditate pervenerit, edixerit? parendum, & in fructibus (f). Ah cave.

= Et digito compesce labellum

instillat aliquis. Adstat Papinianus, adstat Modestinus. An ne isti contrarium? dic sedes. Quidni. Cedo verba: *Quicquid ex hæreditate, bonisve meis pervenerit* (g). Haud ista contraria: nonnè audis addidisse testatorem *in bonis suis*, quod haud in superiori factum? nec mirum si de fructibus nihil; ii non ejus bonis, sed ex hæredis percipiuntur. Admonitum me vis alterius Papiniani sententiæ, qui superfluos fructus, ait, non restituendos, si in testamento sic fuerit scriptum: *Quod ex hæreditate supererit, cum moreris restituas* (h): Quid dicam: fumus in oculis meis hæc Papiniani verba; & ne alterutri abroganda fides sit, abrogabo potius cum Cujacio (i) receptam lectionem; scribamque *superfluos fructus esse restituendos*, alioquin haud pro re hanc adduxisset Papinianus rationem: *Cum ea verba diminutionem quidem hæreditatis admittunt, fructuum autem additamentum non recipiant*; quæ, ut ille ait, significat, hæredibus; iis verbis datum uti hæreditate, nec de ejus diminutione inquiri, fructus vero minimè permissos. Ita dirempta pugna. Tamen ne quid mentiar, non nimium id placet, potius quæsiverim cum Donello diverticulum in ipsismet testatoris verbis. Dixit *quod supererit ex hæreditate*, fructus vero ex hæreditate non supersunt, cui accepto non feruntur, sed reddobus (k), quia ea verba diminutionem quidem patiuntur, fructuum augmentum nequaquam. Verum me ipse sufflamino: Ad rem redeo.

Facit quoque testator ut fructus restituantur, cum diem in fideicommissarii gratiam fideicommisso apposuit (l). An & alii restituuntur? præter post moram collectos, nulli (m). Mora autem fit ubi postulanti non datur (n); ergo nec antequam fideicommissarius hæreditatem petierit, nec medio tempore percepti redduntur (o); imputantur hi quidem in quartam (p), licet non illi; nec dicas reperente eos venire in restitutionem, quoniam, & si verum est quartam iis compleri fructibus, qui quasi hæreditatis appendix sunt, & auxiliares (q); illud tamen observarur in Trebelliani Senatusconsulti quartam congeri quæcumque judicio testatoris capiuntur (r); fructus vero medii (ut inquiunt) temporis cum judicio testatoris differantur (s), quid mirum si in restitutionem veniant? ex hac luce, & illud clarum: quos fructus sibi substiturus poscat. An fortasse qui augent hæreditatem, defunctique fortunas? non paucos pedes absunt à vero, qui putant; nam quid opus de fructibus exprimere, si bona defuncti ad substitutum pertinere jam dudum scriptum, receptumque (t)? Ii ergo restitutioni sunt obnoxii, quos haud potest fideicommissarius consectari: nempe eos, quos legitimus instituti hæres, antequam substitutus bona petierit, collegit. Audite paradoxam inquies, nonne id expressum, dictumque superius, restitui non oportere? ne id increpes, vel objurges: non hic de fideicommissaria hæreditate quæ dum non petitur in fiduciarii bonis est, ergo & fructus qui ex illa. At legitimus hæres nullo jure Centurionis filio mortuo paterna bona occupat; statim enim ad substiturum, & si non petat hæc directi juris vis. Ob quæ, & fructus ad eumdem (u). Haud desunt qui lacinia pallii me revocent, monitumque velint intellexisse Papinianum de fructibus in hæreditate patris inventis, quòd ea verba dubio circumacta ad testatorem debeant referri (x). Quos audire, haud è re mea est: novi enim vera ab eis dici, cum de testatoris verbis ambigitur, cum vero de Jurisconsulti nequaquam. Igitur ii fructus

(a) *L. ita tamen* 27. *§.* 1. *in fin. ff. ad Trebellian.*

(b) *L. in ratione, ff. ad l. falcidiam, l. si fraudator* 25. *§. Proculus, ff. quæ in fraud. cre. l. fructus pendentes, ff. de rei vind.*

(c) *L. item.* 20. *§.* 3. *vers. Fructus, l. sed & si lege, §. ult. l. ancillarum, ff. de hæred. petit.*

(d) *D. l. item*, 20. *§. fin.*

(e) *L. in fideicommissariam* 18. *in princ. ff. ad Trebel.*

(f) *L.* 3. *§. nonnunquam, ff. de usur. l. balista* 32. *ff. ad Trebellian.*

(g) *L. hæredes* 57. *in princip. ff. ad Trebellian.*

(h) *L. deducta* 58. *§. penult. ad Trebel.*

(i) 12. *Obs.* 10. *& ad Papin. lib. resp.* 9. *in d. l. deducta.*

(k) *L. in fideicommissaria* 18. *§. quotiet, ff. ad Trebell.*

(l) *L.* 3. *§. cum Pollidius, ff. de usur. l. si ita* 43. *§. Pegasus, ff. de leg.* 2.

(m) *D. l. in fideicommissaria in princip. l. mulier* 22. *§. si hæres, l. postulante* 44. *§. penult. ff. ad Trebell. l.* 3. *in princip. ff. de usur.*

(n) Paulus *in calce, lib.* 3. *sent.*

(o) *D. l.* 18. *§. quotiet, & d. l. mulier* 22. *§. alia causa.*

(p) *D. l. melior, d. §. alia.*

(q) *L. equit* 8. *ff. de usur.*

(r) *L. in quartam* 91. *ff. ad l. falc.*

(s) *D. l. mulier, d. §. alia.*

(t) *Hac nostra l. Centurio* 15.

(u) *L.* 2. *l. item veniunt, §. item non solum in fin. ff. de pos. hæred.*

(x) *L. cum in testam.* 28. *ff. de aur. & arg.*

substituto cedunt, qui omnino fiduciarii hæredis suppellectilem auctum irent, percepti nimirum antequam bona patris peterentur.

CAPUT. VIII.

Pupillari substitutione expressa matrem excludi.

Pietas nunc & miseratio, ob quæ parentibus, si contingat filium hoc corporis carcere prius emitti, ejus debetur hæreditas (a), admonet nos ut despiciamus, num pupillaris expressa, vel quæ compendio facta est, matrem à filii hæreditate importune arceat? Sed ne fortè nos in cursu remoretur, aut suffiaminet morosula objectio; tacitam esse quam complectitur compendio rationis facta substitutio; libet primum de ea sic statuere: expressam substitutionem dici, vel quia verbis propriis facta est, videlicet; *si hæres erit, & ante pubertatem decesserit*, vel quia sub quadam generalitate verborum exprimitur, exempli gratia, *quandocumque decesserit*, & hoc modo expressa dicitur, quæ compendio factæ inest. Hinc Imperator de substitutione à militibus facta: *Si vero*, inquit (b), *substitutio in secundum casum vel expressa, vel compendio, non usque ad certam ætatem facta reperiatur.* Non ut expressam alteri illi ex adverso poneret, sed ut discrimen agnosceret inter propriis verbis scriptam, & generalibus; nec nos alio flectere potest scitula quorumdam conclusio. Inquit Jurisconsultus à Divo Marco constitutum, ut pupillaris vulgari inesset, & hæc illi invicem, & subdit: *Quod jus ad tertium genus tractum est* (c). Quid illi? si idem jus tractum est, ergo erit tacita, quia, quæ se vulgari insinuat, tacita est: sed astutè potius, quam verè. Jus illud tractum est, ut reciproca utrumque teneat casum: sed diverso quidem modo, ac vulgaris simplex; nam cum ea verba, *si hæres erit*, præter vulgarem nulli conveniant, necesse quidem fuit intelligi pupillarem, sed tacitè: non hic item, reciprocæ verba nullam exprimunt, ergo unicuique possunt adscribi: hinc aperi rationi januam, videbis expressam pupillarem esse, quæ sub reciproca. Removto, seu fracto hoc repagulo, exorbitare, eorumque, qui non omnino fidei litarunt, semitam ingredi, nolo, sed tritum, & calcatum iter sequi; nempe, matrem pupillari expressa excludi; me vide, & nullam hic divisionem. Mater non dicit inofficiosum, quia patris testamentum est (d), ergo excluditur. Falsò (inquient) hæc colligun-

tur saltem in quarta, quæ matri leges tribuunt, nam & frater querelam habet turpi instituta persona, non legitimam (e). Falluntur, legitimam habet, cum hæc turpis persona intervenit, hinc querela; volutent Justiniani novas constitutiones; reperient (f); diverticulum fortassè hoc quærent; haud à matre dici inofficiosum; sed petere posse, quæ à filio prætendit conditione ex lege (g). Fores occlusæ sunt, id facere potest cui & querela prestò est (h), procul querela? ergo & illud veritum. Trepidas adhuc & mitas? age age, majora suppeditabo falcra: *Mater* (inquit Paulus) *ad hæreditatem admovetur, quia substitutio ad casum non existentium hæredum pertinet* (i); si ergo pupillaris fuisset, non certè mater, sed substitutus. Verum vide quæ & Imperator: *Facta substitutione pupillari, vel expressa, vel sub compendio, si filius ante pubertatem obierit, eos habeat hæredes, quos ei pater dixerit* (k)? quod si Imperatorem, & Jurisconsultum testes elevant, quid facient Pontifici, qui his ipsissimis verbis rescribit? *Licet autem filius testamento suo matrem portione jure naturæ debita privare non possit, pater tamen in testamento, quod filio impuberi facit, potest, nam testamentum hujusmodi pupillare, paternum, vel paterni potius pars est* (l). Ergo per alium id agam, quod non per me (m)? Quidni? nam & si tu nequeas (n), haud tua id indulgentia pater, sed legis authoritate (o). At nonne suo jure privabitur mater (p)? Minimè: nullum habet jus mater nisi in testamentum filii; à quo saltem legitima repelli nequit; sed pupillaris substitutio, tabellæ, & linum patris sunt (q). Turpe quidem parentis privilegium exclamas, qui secum matris, & detrimentum aufert, & damnum (r). Tempera vocibus; monstratum satis, nullum hic, privilegium, idque ex miracissimo jure patri datum; hoc patria potestas, hoc mores, hoc lex: Esto. Sed quare in Justinianea mater substitutione, quæ vivum præfert pupillaris exemplum (s), non excluditur (t)? quia non in omnibus similitudo. Itaque properate manus tollere, faterique repulsam matris, nam

Quod modo proposui non est tententiæ, verum est
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

CAPUT IX.

Matrem tacita pupillari non excludi.

Idem esse in ea, quæ tacitè inest vulgari expressæ, nonnulli protendunt. An & verè acris judicii res est. Aures tamen faciles præs-

(a) *L. nam etsi 15. in princip. ff. de inoff. test. l. scripto hærede, §. fin. ff. unde. lib.*
(b) *Dict. l. precib.*
(c) *L. 4. in princ. & §. 1. ff. de vulg.*
(d) *L. Papinianus 8. §. hæc impuberis, ff. de inoff.*
(e) *L. frater, Cod. de inoffic. §. sent. inst. eod.*
(f) *Auth. de hæred. & falcid. §. primum itaque.*
(g) *L. omnimodo, ff. de inoffic.*
(h) *D. l. omnimodo.*
(i) *L. Lucius 45. ff. hoc tit.*
(k) *D. l. precibus.*
(l) *Cap. si pater, de test. in 6.*
(m) *Contra l. neque per se, Cod. de hæred. instit. l. minor, §. fin. ff. de procur. l. nemo plus, ff. de reg. jur.*
(n) *Auth. Presbyteros 12. Cod. de Episcop. & Clerie. l. si filius tuus Cod. inoffic. dotibus.*
(o) *D. l. 2. hoc tit princ. inst. de pup.*
(p) *Contra l. paterfam. ff. de hæred. instit.*
(q) *Ut rectè probat d. l. Papinianus, §. sed nec impuberis.*
(r) *Contra l. impuberi 40. ff. de administr. tut. l. cum filius fam. 28. de milit. test.*
(s) *Princip. inst. de pup. l. humanitatis, C. de impuberib.*
(t) *Dict. l. humanitatis juncta auth. defuncto, Cod. ad Senatusc. Trebell.*

præsta: paucis expediam. Primum casum; *si hæres non erit*, ad secundum, *si erit, & posita nondum prætexta moriatur*, protracti divi fratres sanxerunt (a). De hoc nullæ rixæ: illud maximè pugnatum; num matre superstite, cui filii hæreditatem ab intestato Senatusconsultum Tertullianum defert (b) substitutus insitæ illius pupillaris vi succedat? Negant, cui rectus animi sensus: *Non est incerti juris* (sit Imperatori veneratio) *quod si quidem in patris militis potestate positus primo tantum casu habuit substitutum, & patris hæres extitit, eo defuncto ad te omnimodo ejus pertineat successio* (c). Quid potuit clarius? fortassè prohibent caligæ, ne in illis, de quibus Imperator, tabellis idem ac in cæteris jus censeatur? procul ab illis, quæ scripto non carpuntur, conjecturæ (d). Esto; non item præsumptiones, ex quibus ea pupillaris tacita (e); nec tilla jubet lex scriptioni adhærescentes nos voluntatem neglecti habere; sed quod in aliis solemne, statutumque est, à nobis in iis non requiri: hæc ab ipsa veritate dictata excipias, obsecro (f). Multi tamen, quos præsum tam tritæ opinionis, eam eunt funditus eversum: sed obsiste, herbam dabis: quem admovent lapidem? an eamdem taciti & expressi vim esse (g), matremque tacita excludi, quia expressa? non illud æternum vere (h); non hic ubi absolutè expressa; non absolutè tacita, sed tacito intellectu contra matrem non admittendo substitutum vocat: an idem obtendunt, quoniam quæ sub reciprocæ persona latet, substituto favet (i), in qua idem, at in vulgari contecta jus (k)? tacita hæc omninò, & contra testatoris verba admissus substitutos: Expressa illa saltem genere verborum, & juxta verborum sensus admissus substitutus: idem ergo in illis Jus, in pupillari scilicèt obducenda; at diversum in obductionis modo. Audiamus Jurisconsultum quem in nos armant. Lucius Titius duos filios, legitimum alterum, alterum naturalem, institutus invicem substituit; adita hæreditate moritur legitimus; extruso naturali filio obviam se mater facit, quia ille in secundum casum substitutionis capax haud erat (l). Finge capacem: nonne mater operiretur fortis? quidni, si ea pupillaris reciprocæ partus esset? ideò nec tacita. Haud plus Imperator, eo, quo nos profligare adversari maximè arbitrantur, loco (m). Admittitur mater, quia cohæres est; quia pater suæ substantiæ partem uxori relinquens, multò magis & luctuosam hæreditatem ad matrem venire juravit. Sistatur hic rationum cursus: Hujus Pol juris deficiet annis (n), & subintrabit substitutus. Non ea sola ratio, sed hæc data comes; quia æquum est, matrem mœrore attritam filii immaturo fato, luctuosa ejus hæreditate non privari. Quæ sive cohæres data sit, sive non, semper fuit; nec eas tacitus hic intellectus fores perfringere debet; quas maternum jus occlusit: quid si Imperatorem faciant de iis loquentem, quæ nec per somnium senserit? testator posthumo pro parte instituto, *si non nascatur*, secundum assignat hæredem: eo non nato nemo audeat substituto litem movere. Natus verosi sit & extinctus hæreditate non adita; sic sodes quis hæres? hoc Imperator tractat, disputat, ventilat. Falluntur qui censent disseri ab eo de nato posthumo, & post aditam hæreditatem impubere adhuc mortuo: nulla aditæ hæreditatis mentio, cujus aditio futilem Papinianeæ, & Ulpianeæ dubitationis reddant mentionem: cum sublata jam à Diocletiano sit (o). Frivolam quoque, & putidam efficiat Jurisconsultorum rationem: quid enim si adita hæreditate de pupillari tacita sit sermo, referat matrem cohæredem esse, necnecè at *ejus hæreditas* dicitur, & *luctuosa*, & *hæreditas*: Filii ergo; nam si patris, *portio* potius *hæreditatis*, nec *luctuosa*, & *suo*, non *ejus* diceretur. An, & grammatici personam induimur? fiat; non illis limatum, inexasciatumque *ejus*, pro *suo* scribere: nec aditio in causa quin filii portio dicatur *luctuosa*, quæ si quod futurum erat intueamur, & *hæreditas*, rectè dicetur. Hæc fortassè probabuntur, quibus, & universa Bartoli; & iis matrem non excludi, displicet Bartolus? (quod meritò nonnunquam) anticis adhære: minus haud dabis non excludi matrem.

CAPUT. X.

Compendio factam à pagano verbis communibus post pubertatem flecti ad fideicommissum cum interpretatione tamen Papiniani.

